P. PAPINIVS STATIVS

QVIBVS IN ACHILLEIDE COMPONENDA VSVS ESSE VIDEATVR FONTIBVS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICVS KVERSCHNER

WASENBERGENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CHATTORVM

TYPIS FRIEDR. SCHEEL CASSELANI

MDCCCCVII

Dissertatio referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine die XXV mensis Iulii a. MDCCCCVII adprobata.

THEODORO BIRT

S.

Statius in Achilleide totam ad Achillem spectantem fabulam carmine epico describere sibi proposuerat Musa adiuvante, sed nescio quo fato hoc grande propositum ad finem perducere prohibitus est. Nam carminis fragmentum memoriae traditum initium tantum totius quod sibi proposuerat poeta operis amplectitur, eam partem, cuius argumentum continetur his carminis verbis [1]):

Scyroque latentem

(sc. Achillem) *Dulichia proferre tuba,*

cum poeta id ageret animo, ut Homeri suppleret Iliadem his [2]):

quamquam acta viri multum inclita cantu
Maeonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
— sic amor est — heroa velis Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba nec in Hectore tracto
sistere, sed tota iuvenem deducere Troia.

Quod iam multo ante Statium fecerant poetae qui vocantur cyclici, quorum carmina non nisi excerpta a Proclo Photio teste nobis tradita omnes et Troianas et Thebanas continebant fabulas, si quidem fidem habemus Procli excerptis.[3]) Quae

---

[1]) Ach. I 5 seq.

[2]) Ach. I 3 seqq.

[3]) Procli auctoritatem valde minuerunt vel sustulerunt Robertus (Bild und Lied Berl. 1881 pag. 223), Wilamowitzius (Homerische Untersuchungen = Philologische Untersuchungen von Kiessling und Wilamowitz Heft VII, 1884, pag. 330 seqq.), Bethius (Hermae vol. XXVI pag. 595 seqq., Thebanische Heldenlieder, Leipzig 1891, pag. 34 adn. 9), qui viri docti inter se consentiunt carmina ipsa eum non inspexisse cyclica, sed argumenta eorum excerpsisse; Bethius eo progreditur suspicionis, ut dicat (Hermae l. l. pag. 611) haec: „Proklos hat das, was er als Auszüge

carmina iam Stati temporibus ipsa perdita nec nisi prosa oratione excerpta fuisse inde sumendum esse mihi quidem videtur, quod poeta eorum omnino rationem non habuit. Nam si carmina numeris et argumentis Homericorum maxime ad similitudinem accedentia Statio nota vel praesto fuissent, etsi Homero ipsi non tribuebantur auctori, qui poterat dicere (I 4) *sed plura vacant?* Idem Homeri tantum carmina, qualia ad nos pervenerunt, se legisse ipse testatur silvarum libri V carminis III versibus 146 seqq., ubi disciplinam a patre institutam laudibus effert his:

> *Hinc tibi vota patrum credi generosaque pubes*
> *te monitore regi: mores et facta priorum*
> *discere, quis casus Troiae, quam tardus Ulixes,*
> *quantus equos pugnasque virum decurrere versu*
> *Maeonides* e. q. s.

Apparet igitur Statium carmina cyclica non iam legisse, sed argumenta tantum prosa conscripta oratione, qualia composita erant in compendio illo mythologico a Bethio (l. l.) primo a. C. n. saeculo attributo, unde fluxerunt communi tamquam ex fonte quae ad nos pervenerunt excerpta mythologica, Apollodori quae vocatur bibliotheca et Hygini quae traduntur fabulae.

Sed praeter illum librum fabularem multi alii unde fabularum hauriret copiam, fontes praesto erant poetae. Carmina enim illa cyclica iam multo ante quam in compendia abierunt

---

aus den kyklischen Epen gibt, abgeschrieben aus einem mythologischen Handbuch, das dem uns in Excerpten erhaltenen Apollodor sehr ähnlich war. Mithin ist das schon längst als Quelle des Proklos vermutete mythologische Handbuch als das apollodorische erwiesen. Damit ist die Autorität des Proklos gestürzt." Idem altero loco supra laudato iudicat haec: „die sogenannten Excerpte des Proklos sind nur ein Auszug aus dem mythologischen Handbuch, welches mit Zugrundelegung der Ilias und Odyssee und aller in diesen erwähnten Episoden eine chronologisch geordnete Darstellung des troischen Krieges aus den übrigen Epen dieses Kreises zusammensetzte."

mythologica, salva materiae poeticae loco habita sunt a poetis qui post Homerum et cyclicos floruerunt Graecis, quorum alii carminibus suis insererent fabulas inde petitas, velut Pindarus, alii tragoediarum inde sumerent argumenta, velut Aeschylus, Sophocles, Euripides, alii hanc vel illam particulam ex toto cyclo decerptam carmine exponerent et distinguerent, dico Alexandrinos, qui cum multa alia tum res amatorias depingere et exornare studebant idyllii specie, cuius generis e. g. fragmentum nobis servatum est Bionis ad Achillis et Deidamiae amorem quod pertinet furtivum. Quorum carminum etsi ad nostram aetatem pauca pervenerunt salva, pleraque trunca, tamen Stati temporibus plura integra fuisse iam ex eo apparet, quod poeta ipse tradit de poetis lyricis a patre in ludo tractatis versibus carminis supra laudati his silv. V 3, 149 seqq.: (Discunt pueri Homerum)

quantumque pios ditarit agrestes
Ascraeus Siculusque senex[1]), *qua lege recurrat*
Pindaricae vox flexa lyrae volucrumque precator
Ibycus et tetricis Alcman cantatus Amyclis
Stesichorusque ferox saltusque ingressa viriles
non formidata temeraria Chalcide Sappho
quosque alios dignata chelys. tu pandere doctus (sc. es)
carmina Battiadae latebrasque Lycophronis atri
Sophronaque implicitum tenuisque arcana Corinnae.[2])

Quam pauca ex hac copia ad nos propagata sunt! Similiter rem de tragicis se habere poetis facile suspiceris. Quamquam priscorum poetarum Romanorum tragoediae e Graecis

[1]) Quis his verbis significetur a poeta pro certo dici non potest. Epicharmum intellegit Vollmerus, Theognidem Reitzensteinius (cf. Vollmer, silv. edition. pag. 538), Theocritum Friedlaender (Darst. aus der Sittengeschichte Roms III 6, pag. 378).

[2]) de Corinnae statua cf. Reinach, Revue archéologique vol. XXXII, tab. V, et quae de ea disseruit v. d. Th. Birt, magister meus, in libro nuper edito qui inscribitur „Die Buchrolle in der Kunst“, Lips. 1907, pag. 160 seq.

translatae, cuius generis „Achillem“ docuerunt Livius Andronicus, Ennius, Accius[1]), num etiam tum cum Statius carmen suum composuit epicum, viguerint et lectae sint, valde debet dubitari, certe Livianas fabulas quae iterum legantur non satis esse dignas iam Cicero iudicat.[2]) Quibus missis ut propius ad Statium accedamus, Augusti temporibus qui floruerunt ei praesto erant poetae, quos exempla sibi proponeret imitanda, Vergilium praecipue dico et Ovidium, quorum alter artis epicae exemplum praebuit illustrissimum, alter fabularum fontem uberrimum.

Haec de fontibus e litterarum cognitione ductis. Accedit materiae poeticae alius fons, qui originem ducit ex monumentis, tabulis pictis, vasis res mythologicas reddentibus, cuius generis etsi alia ab interitu servata ad nostram pervenerunt aetatem, ut ipsorum oculis possimus intueri, alia antiquis temporibus fuisse memoriae traduntur, tamen pleraque plane operta et obruta esse dolemus. Talia quoque Statio saepius occurrisse ambulanti manifestum est cum alia tum picturas parietibus adpictas, quarum exempla nonnulla ex ruinis Pompeiorum detectis nobis servata sunt[3]) quarumque seriem a se ipso Neapoli inspectam Philostratus maior accuratius describit.[4]) Easdem tabulas, si quidem Philostrato fides haberi potest[5]), Statium ipsum saepius oculis perlustrasse conicere possis, quippe qui Neapoli natus ibique iuvenis et senex moratus esse feratur.[6])

Quos huc usque adumbravimus Statio praesto erant fontes, unde materiam hauriret carminis componendi epici. Nobis

---

[1]) cf. T. R. F.[2] ed. Ribb. pag. 1, 15, 136.

[2]) Brut. 18, 71.

[3]) cf. W. Helbig, Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens. Leipzig 1868.

[4]) Philostrati maioris imagines rec. seminariorum Vindobonensium sodales 1893 in Bibl. Teubn.

[5]) cf. H. Brunn, Die philostratischen Gemälde gegen Friedrichs verteidigt. (Jahrbuch für klass. Philologie vol. IV suppl. pag. 177—303. ibid. ann. 1871, pag. 1—33, 81—105.)

[6]) cf. silv. V 3, 225 seqq., III 5, 12 seqq.

erit quaerendum, quatenus hac licentia usus sit poeta, ita ut statuamus et quae ad fontes suos possint revocari et quae suo novasse videatur poeta ingenio et arte fingendi. Hoc tamen semper moneo esse tenendum nobis minimam servatam esse partem eorum quos Statio exhaurire licebat fontium. Praeterea res ad Troianum quae pertinent bellum tam vulgatae erant antiquis, ut difficile sit certum indicare scriptorem, quem in hac vel illa re describenda tritissima secutus sit poeta. Tamen omnes fabulae partes, quatenus Achilleidos continentur fragmento, temporum ordine conexas ad fontes, quantum poterimus, revocabimus primos, quos Statium, poetam doctissimum[1]), ante oculos habuisse aut manifestum aut verisimile est.

Ab his igitur rationibus profecti in carminis epici Statiani fontes inquirere instituemus ita ut primo loco agamus de rebus summam Achilleidos, quae posita est in Achille apud Chironem educato, inde Scyrum abducto ibique occulto et Ulixis dolis patefacto praecedentibus, quas poeta occasione data stringit, deinde de rebus a Statio copiose et ornate depictis. Prima igitur parte nobis dicendum erit 1) de fabulis ad Pelei et Thetidis coniugium pertinentibus; 2) de formae certamine inter nuptias illas orto et a Paride in Ida monte diiudicato; 3) de Helena a Paride rapta belloque inde exorituro; 4) de Achillis sorte Chironi nondum traditi.

Altera pars continebit omnia, quae feruntur de Achille apud Centaurum educato. Tertia deinde pars amplectetur Achillem a matre Scyrum abductum ibique virginis habitu occultatum eiusque cum Deidamia consuetudinem furtivam quodque inde evenit. Quarto denique capite nobis agendum erit primum de Graecis undique bellum parantibus et Aulidem convenientibus, deinde de Ulixe et Diomede Calchantis ex vaticinio Scyrum missis, tertium de Achille ab Ulixe detecto et ad bellum profecturo.

---

[1]) cf. silv. V 3, 145 seqq.

Caput I:

De rebus, quae argumentum carminis praecedunt.

Magnanimum Aeaciden formidatamque Tonanti
progeniem et patrio vetitam succedere caelo,
diva, refer.

Ut ab hoc Achilleidos prooemio initium capiamus, poeta his versibus fabulam tangit illam quam Pindarus copiose narrat[1]) hoc fere argumento: Iovi et Neptuno Thetidis matrimonium petentibus Themis in concilio deorum vaticinatur prolem a Thetide nascituram potentiora gesturam esse arma fulminibus et tridente. Quo vaticinio deterriti cum illi Thetidis coniugio destitissent, dea Peleo in matrimonium data est praemium castitatis et animi constantiae, qua ille paulo ante Acasti uxoris sustinuerat illecebras[2]) Dea etsi primum Pelei amplexus fugere conata est, cum in varias se mutaret formas, tamen Chirone auctore superata et nuptiis celeberrimis a dis Peleo iuncta est.[3])

Iovem vaticinio adductum esse, ut Thetidis concubitum fugeret, post Pindarum tradunt 1) Aeschylus, qui tamen pro tragoediae ratione Themidis partes Prometheo tribuit[4]) et Neptunum plane neglegit, quamquam vaticinium ad utrumque spectare Reitzensteinius[5]) recte ostendit collatis Pindari Isthm. VIII v. 34 seq. et Aeschyli Prometh. vers. 922 seqq. 2) Apollonius Rhodius, qui Pindarum secutus Themidem vaticinari fingit[6]), ceteris vero in rebus plane ab eo discedit;

---

[1]) Isthm. VIII 26 seqq. ed. Christ.

[2]) cf. Nemeorum V 27—36, IV 61.

[3]) cf. Nemeorum IV 62—68, V 32 seqq.

[4]) Prometh. v. 756 seqq., 907 seqq.; T. G. F.[2] ed. N. pag. 63; cf. Hygini fab. 54; eiusdem astron. II 15; Apoll. bibl. III 168 seq.; Luciani dial. deor. I; Quinti Smyrnaei V 335 seqq.

[5]) „Die Hochzeit des Peleus und der Thetis." Hermae volum. 35, pag. 74 adn. 1.

[6]) Argonaut. IV 798—802.

3) Ovidius[1]), qui fortasse cum poeta quem imitatus est Alexandrino Themidis et Chironis apud Pindarum partes Proteo tribuit. Accedit 4) Apollodorus, qui fortasse praeeunte Pherecyde[2]) totam fabulam narrat ita tamen, ut quatenus alii discedant inserat.[3]) Quos omnes ex uno fonte hausisse vetustiore verisimile est et mihi quidem Gruppius[4]) carmen Hesiodeum recte iudicasse videtur fontem esse communem, cuius carminis fragmenta iterum composuit Rzach in editione Teubneriana (1902) frg. 78—82. Proprium igitur fuit huius carminis, ut poeta fingeret Iovem Thetidem a se ipso petitam vaticinio deterritum Peleo mortali destinavisse iungendam eamque quamvis reluctantem tamen victam et nuptiis celeberrimis Peleo esse adiunctam.

Valde ab hac fabulae forma discedit ea quam Apollodorus bibl. III 169 adumbrat his: *τινὲς δὲ λέγουσι μὴ βουληθῆναι Θέτιν Διὶ συνελθεῖν ὑπὸ Ἥρας τραφεῖσαν, Δία δὲ ὀργισθέντα θνητῷ ἐθέλειν αὐτὴν συνοικίσαι*[5]) quamque Cypriorum deberi carmini Reitzensteinius demonstravit col-

---

[1]) Metamorph. XI 221—265.

[2]) cf. F. H. G. ed. M. I 72, 16.

[3]) cf. bibl. III 168 seq.

[4]) Griechische Mythologie pag. 664 adnot. 1. Nam quod Reitzensteinius l. l. statuit Pindari Isthm. VIII 28—52 et Nem. IV 57—68 ex carmine fluxisse epico, quod nomine „Peleuslied" significat, eiusdem vero Nem. V 22—37 ex carmine Hesiodeo (ut Euripidis Iph. Aulid. vv. 696—709, 1036—1077) mihi quidem parum verisimile est, quamquam non nego tale fuisse carmen epicum, unde Hesiodum hausisse suspicari possis, cuius vestigia fortasse servavit Iliadis Σ versibus 432—435, quos versus, cum Ω 57—63 repugnent, spurios esse iudicat Reitzensteinius (l. l. pag. 78[1]), sed licet sint spurii, tamen relinquuntur eiusdem libri vv. 84 seq., ubi verba *ἤματι τῷ ὅτε σε βροτοῦ ἀνέρος ἔμβαλον εὐνῇ* (sc. *οἱ θεοί*), etsi solas indicant nuptias, tamen mihi quidem significare videntur Thetidem invitam a dis mortali se iungere esse coactam eadem ratione, qua apud Pindarum in concilio deorum Themide iubente vel suadente et dis adnuentibus Peleo addicitur et nuptiis iungitur. Itaque ut vv. 84 seqq. ita etiam 432 seqq. servandos esse censeo.

[5]) *συνοικῆσαι* A. corr. Wagner.

lato fragmento mythographi cuiusdam anonymi[1]), quibus argumentis comparatis apparet in Cypriis Iovem non vaticinio, ut Thetidem quam deperibat, relinqueret esse commotum sed eo, quod illa Iunonis, quae eam nutrierat, gratia Iovis concubitum fugiebat, qua neglegentia ille iratus iuravit eam mortali iunctum iri. Eadem fabula legitur apud Apollonium[2]), qui tamen utramque formam inter se contrariam coniungere conatus fabulam hac ratione procedentem facit: Iuppiter Thetidis fastu et pertinacia iratus iurat eam numquam dei uxorem appellatum iri. Tamen non prius quin eam petat et sectetur retineri potest quam Themis ei aperuit v. 799 *ὡς δή του πέπρωται ἀμείνονα πατρὸς ἑοῖο παῖδα τεκεῖν* (sc. deam), quibus fatis auditis timore adductus Thetidem fugit. Iuno vero alumnae ut gratiam reponeret obsequii optimum mortalium dedit coniugem et nuptias ipsa paravit celeberrimas versibus 803 seqq., quos non minus quam versus 788—795 e Cypriis sumptos esse apparet collatis Iliadis *Ω* 59—63, ubi Iuno dicit: *Ἀχιλλεὺς ἐστι θεᾶς γόνος, ἣν ἐγὼ αὐτὴ θρέψα τε καὶ ἀτίτηλα καὶ ἀνδρὶ πόρον παράκοιτιν Πηλέι, ὃς περὶ κῆρι φίλος γένετ' ἀθανάτοισιν. πάντες δ'ἀντιάασθε θεοὶ γάμον κ. τ. λ.* Utroque loco Thetis Iunonis alumna fingitur dilectissima, quam ipsa celeberrimis nuptiis optimo mortalium iunxerit. Unde similiter fabulam in Cypriis continuatam et absolutam esse facile cognoscitur.

Inter Hesiodeam igitur et quae in Cypriis legebatur fabulae formam, ut eorum quae disputavimus summam faciamus, etsi eo conveniunt, quod Thetis dea prius deo vel dis summis petita mortali iungitur, tamen ratio intercedit ea, quod apud Hesiodum et qui eum secuti suni Thetis invita Iovis

---

[1]) volum. Herculan. coll. alt. VIII 105 = Rzach² fragm. 80: *|ὁ δὲ τ]ὰ Κύπ[ρια ποιήσας Ἥ]ραι χαρ[ιζομένη]ν φεύγειν αὐ[τοῦ τὸ]ν γάμον, Δ[ία δὲ ὀμ]όσαι χολω[θέντ]α διότι θνη[τῶι συ]νοικίσει. κ[αὶ παρ' Ἡ[σιόδωι δὲ κε[ῖται τ]ὸ παραπλήσ]ιον.*

[2]) Argon. IV 788 seqq.

concubitu fatis privatur et mortali addicitur, cuius amplexus non nisi vi adhibita patitur, in Cypriis vero dea ipsa Iovis concubitum fugit quamvis petentis neque fatis, sed ipsius culpa efficit, ut non solum Iovis, sed omnino divini coniugis expers fiat Iunonis gratia, quae eam optimo mortalium ipsa pronubae munere fungens nuptiis iungit splendidissimis, quas nuptias, etsi apud Hesiodum leguntur, tamen solis Cypriis bene convenire, unde in alteram formam translatae sint, recte iudicavit Reitzensteinius.[1]) — Plane a genuinis fabulae rationibus discedit et ad suam aetatem et occasionem aptavit fabulam poeta Alexandrinus, cuius vestigia pressit Catullus in epithalamio quod vocatur Pelei et Thetidis.[2]) Nam hoc in carmine Thetis amore capta Pelei non minus incensi plane humanos accepit mores nec mortalem fastidit Peleum, contra *tum Thetis humanos non despexit hymenaeos, tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit* (v. 20 seq.) et tantum abest ut Thetis Peleo invita se iungat, ut Parcae vaticinentur versibus 335 seqq.:

nulla domus tales umquam contexit amores,
nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.

His variis propositis fabulae formis ut in viam redeamus iam statuendum est, qualem secutus sit Statius in carmine componendo. Atque primum quidem versibus supra laudatis (1, 2) vaticinium alluditur, quo perterritus Iuppiter Thetidis fugit concubitum. Etsi pro certo dici non potest, cui Statius hoc tribui voluerit vaticinium, tamen possis suspicari eum

[1]) l. l. pag. 77. Revera fabulae formam extitisse, qua Thetis quasi vi expugnata et domita, non nuptiis coniuncta fingebatur, Ovidi docet exemplum et eius quem secutus est poetae, praeterea fragmentum Sophoclis a Reitzensteinio allatum hoc (Troili fragm. 161 ed. N. T. G. F.[2]): *ἔγημεν ὡς ἔγημεν ἀφθόγγους γάμους τῇ παντομόρφῳ Θέτιδι συμπλακείς ποτε;* denique Herodotus tradit (libri VII cap. 191) Ionas Magis locum monstravisse Thessaliae maritimum, unde Thetis quondam a Peleo rapta esse dicatur.

[2]) carm. 64 ed. Schwabe.

Ovidio praeeunte Proteum finxisse vaticinantem, quippe qui saepius hoc munere fungatur[1]) et versu 136 eodem cognomine quo apud Ovidium[2]) Carpathii vatis significetur. Deinde Thetidem non nisi fatis coactam Peleum esse secutam semperque sortis iniquitatem doluisse, quod ipsa dea, summo quondam Iovi quaesita, mortalis concubitum pati coacta sit, apparet ex versibus his I 90 seqq., ubi . . . . deam consolatur:

Pelea iam desiste queri thalamosque minores.
Crederis peperisse Iovi;

I 252 seqq., ubi Thetis Achillem alloquitur:

Si mihi, nate puer, thalamos sors aequa tulisset,
quos dabat, aetheriis ego te complexa tenerem
sidus grande plagis magnique puerpera caeli
nil humiles Parcas terrenaque fata vererer.

ibid. 268:

si terras humilemque experta maritum
te propter e. q. s.,

quibus versibus etsi non expresse dicit tamen significat poeta Thetidem non nisi vi et dolo adhibitis Pelei concubitum esse passam; cui rei non repugnat, quod idem postea nuptias describit Pelei et Thetidis a dis celebratas, immo haec quoque res tam bene convenit fabulae quam supra descripsimus Hesiodeae, ut pro certo possimus statuere hanc, non e Cypriorum carmine quae originem ducit fabulae formam obversatam esse poetae. Similem fabulae formam spectare videtur Valerius Flaccus, dum picturam[3]) quam in Argo navi impictam fingit, interpretatur versibus his[4]):

Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis; aequora Delphin

---

[1]) cf. Ach. I 32 seqq.; 136.

[2]) Metam. XI 249.

[3]) Similem imaginem in Achillis clipeo impictam fingit Q. Smyrnaeus V 73—76, cf. etiam Tibulli I 5, 45 seqq.

Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis.

[4]) Argon. I 130 seqq. ed. Schenkl.

corripit; illa sedet deiecta in lumina polla
nec Iove maiorem nasci suspirat Achillen.[1])

De nuptiis ipsis ut breviter exponamus fingit poeta eas celebratas esse in Pelio monte, qui quasi ipse *Pelea maritat* suum (II 55 seq.) Chironis in antro a dis omnibus, unde in antro describendo dicit (I 109 seq.):

signa tamen divumque tori et quem quisque sacravit
accubitu genioque locum monstrantur e. q. s.

Quibus in nuptiis iam fata Achillis futura cantata esse poeta tangit verbis his (II 57): *et iam tunc nostris promitteris armis.* — Atque deos omnes et deas nuptias Pelei et Thetidis celebravisse in Pelio monte consentiunt mythographi et poetae praeter Catullum. Hic enim nuptias Pharsali factas esse[2]) et Apollinem cum Diana sorore nuptiis non interfuisse fingit[3]), qua re coactus est vaticinium a Statio significatum Parcis ipsis tribuere, cum ceteri Apollinem aut solum[4]) aut Chirone adiuncto[5]) Achillis sortem cecinisse tradant.

---

[1]) [v. 130 *in sperato* P₂ C, emendavit Gronovius.]

[2]) c. 64, 37: *Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.*

[3]) cf. carm. 64, 298--302, Reitzenstein l. l. pag. 88.

[4]) velut Aeschylus fragm. 350 N., ubi Thetis loquitur: ὁ δ' (sc. *Φοῖβος*) *ἐνδατεῖται τὰς ἐμὰς εὐπαιδίας νόσων τ᾽ἀπείρους καὶ μακραίωνας βίου ξύμπαντά τ᾽εἰπὼν θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας παιᾶν᾽ ἐπηυφήμησεν εὐθυμῶν ἐμέ κ. τ. λ.* cf. *Ω* 63. Quinti Smyrnaei III 100 seqq. Claudiani epithalam. de nupt. Honor. Aug. praefat. v. 17 seqq.

Tum Phoebus, quo saxa domat quo pertrahit ornos
pectine tentavit nobiliore lyram:
venturumque sacris fidibus iam spondet Achillem,
iam Phrygias caedes, iam Simoenta canit.

[5]) velut Euripides Iphig. Aulid. v. 1062 seqq.: *μέγα δ᾽ἀνέκλαγον, ὦ Νηρηὶ κόρα, παῖδες αἱ Θεσσαλαί, μέγα φῶς μάντις ὁ Φοῖβος ὁ Μουσᾶν τ᾽εἰδὼς γεννάσεις Χείρων ἐξωνόμασεν, ὃς ἥξει χθόνα λογχήρεσι σὺν Μυρμιδόνων ἀσπισταῖς Πριάμοιο κλεινὰν γαῖαν ἐκπυρώσων κ. τ. λ.*, cf. Valer. Flacc. I 139, *pulsatque chelyn post pocula Chiron* Apollinaris Sidonii carm. XIV v. 26 seqq.:

ad taedas Thetidis probante Phoebo
et Chiron cecinit minore plectro.

Adiciendum est in vasculo illo quod „Françoisvase“ vocatur celeberrimo etiam *Μοίρας* vel Parcas conspici in pompa deorum dearumque nuptiali ingredientes, non tamen verisimile est eas fata canentes fingi, quod munus artifex Musis ipsis cum Apolline praesentibus videtur tribuisse.[1]) Unde licet concludere tale quod vaticinium, quale amplius narrat Catullus[2]), iam in carmine Hesiodeo proditum fuisse ab Apolline. Statius etsi rem tantum stringit neque pro certo dici potest, quemnam intellexerit vaticinantem, tamen, cum in ceteris servaverit formam Hesiodeam, ei vaticinium quoque obversatum esse Apollinis

[1]) cf. Baumeister, Denkm. vol. III pag. 1799 seqq., ibid. tab. LXXIV.
[2]) carm. 64, 323 seqq., quem locum Statio observatum esse Achilleidos libr. I v. 84 seqq. pangenti verisimile fit versibus in comparationem vocatis his, quos sub uno ponam conspectu:

Catulli 64, 343 seqq.	Stati Ach. I 84 seqq.
Non illi bello quisquam se conferet heros	*quem tu illic natum Sigeo in pulvere, quanta*
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi	*aspicies victrix Phrygiarum funera matrum,*
. . . .	*cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros*
348 *Illius egregios virtutes claraque facta*	*undabit campos, modo crassa exire vetabit flumina*
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres	
. . . .	
357 *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,*	
. . . *cuius iter caesis angustans corpora acervis*	
Alta tepefaciet permixta flumina caede.	
* * *	*et Hectoreo tardabit funere currus.*

Vides res bellicas a Statio memoratas omnes apud Catullum inveniri praeter Hectoris caedem, quam rem celeberrimam a Catullo omissam esse mirum est. Unde Schwabio assentior qui post v. 361 **„*non nulla de Hectore ab Achille interfecto excidisse Luc. Muellerum probabiliter coniecisse*“** adnotat.

verisimile est, nisi forte spectat Proteum, cuius vaticinii memorem fingit Thetidem[1]), quem tamen nuptiis interfuisse et vaticinium edidisse nemo, quantum equidem vidi, tradit.

Iam de formae certamine in his nuptiis inter Iunonem Minervam Venerem deas exorto ut pauca dicamus, Statius fabulam tantum tangit[2]) causa discordiae praetermissa, de qua conferas velim Procli excerpta[3]), Epit. Vatic. 3, 1, Hygini fab. 92, Serv. ad Verg. Aen. I 27. — Quam formae litem ut solveret Paris, qui pastor in Ida erat monte, electus pulchritudinis praemium Veneri tribuit.[4]) Pergit deinde poeta[5]):

Ira quatit victas (sc. deas); *petit exitialia iudex*
praemia; raptori faciles monstrantur Amyclae.

Unde primo obtutu aliquis possit colligere Statium rem ita finxisse, ut putaret deas a Paride neglectas ut contumeliam ipsis allatam ulciscerentur ira accensas Helenae rapiendae auctores et suasores fuisse. Sed praemia petere iudex non poterat nisi ab ea, cui pulchritudinis tribuerat palmam, a Venere. Quod poëta silentio praeterisse videtur, utpote qui totam rem paucis absolvat. Itaque statuendum est poetae animo obversatam esse fabulam talem qualem copiosius narrant qui praecedunt poetae velut Euripides[6]), Ovidius[7]), cuius ad

---

[1]) Ach. I 32 seqq.

[2]) Ach. II 50 seqq.

[3]) *παραγενομένη δὲ Ἔρις εὐωχουμένων τῶν θεῶν ἐν τοῖς Πηλέως γάμοις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ.*

[4]) cf. Ach. II 50 - 54.

[5]) Ach. II 58 seqq.

[6]) cf. Iphig. Aulid. 1300 seqq., Troad. 917 seqq., Helenae 23 seqq.

[7]) Heroid. XVI 115 seqq.:

> *at Venus hoc pacta est et in altae vallibus Idae*
> *tres tibi se nudas exhibuere deae:*
> *unaque cum regnum, belli daret altera laudem,*
> *„Tyndaridis coniunx“, tertia dixit, „eris“*
> *Credere vix equidem caelestia corpora possum*
> *arbitrio formam subposuisse tuo.*
> *Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,*
> *iudicii pretium qua data dicor ego.*

similitudinem Statius propius accedit eo quod simili dubitatione fabulam inducit [1]:

Fertur in Hectorea, si talia credimus, Ida e. q. s.

Certamine diiudicato Paris statim navibus paratis Amyclas vectus a Menelao hospite excipitur [2], praesertim cum Troiani et Graeci foedere et commercio fingantur coniuncti.[3] Quo hospitio male abusus Paris hospiti nil tale opinanti coniugem abducit secumque trans mare Ilium defert.[4] Sic fere Statius rem depingit satis celebratam inde ab Homero[5] usque ad Colluthum (*ἁρπαγὴ Ἑλένης*). Quod dicit[6] Amyclis Helenam esse abductam, hoc non ita est intellegendum ut putes Statium eam ex sede patria dioscuris coniventibus raptam fingere [7], cui rei obstat, quod Helena ubique uxor fingitur[8], sed ita ut poetam aut nomina Amyclarum, Spartae, Lacedaemonis promiscue usurpasse putes aut loca ita transmutasse, ut Helenam Spartae fingeret natam[9], Menelaum regnantem Amyclis. Sed nomina tantum oppidorum eum mutasse verisimilius est[10] exempla secutum Ovidi[11] et Senecae, qui

---

[1]) Ach. II 50.

[2]) Ach. II 60 seqq.

[3]) Ach. I 361. 404; cf. Verg. Aen. X 90 seqq.:

quae causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque et foedera solvere furto?

[4]) Ach. II 63—65.

[5]) cf. *Γ* 386 seq., 443 seqq., *E* 59 seqq. al.

[6]) Ach. I 21, II 59.

[7]) cf. Gruppe, l. l. pag. 667 adnot. 7.

[8]) cf. Ach. II 64, 68 seqq.

[9]) cf. Ach. I 400 *Spartaeque potentis alumnam,* Euripidis Helen. 16 *ἡμῖν δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος Σπάρτη.*

[10]) Amyclae = 1) Ledae, Castoris, Pollucis patria: silv. I 2, 142; II 1, 111; IV 8, 29. Theb. VI, 307; VII 163, 413.
2) Sparta: Silv. I 2, 213. Theb. X 505. Silv. II 2, 90 *Amyclaei Lycurgi.* V 3, 153 *Alcman cantatus Amyclis.*

[11]) Art. amat. II 5 seq.:

talis ab armiferis Priameius hospes Amyclis
candida cum rapta coniuge vela dedit.

Troadibus[1]) chorum dicentem facit haec: *hoc continuis egimus annis* (sc. lugemus), *ex quo tetigit Phrygius Graias hospes Amyclas secuitque fretum pinus matri sacra Cybebae.* — Menelaum Cretam fuisse profectum Paride adveniente[2]) Statius non memorat, dicit tantum eum hospitio confisum nil tale exspectasse neque suspicatum esse Paridem eo consilio venisse, ut blandus raperet Helenam facile conciliandam.[3])

Quae huc usque tractavimus carminis epici quasi fundamenta sunt, unde profectus reliqua exstruit poeta, qui epicorum more in medias statim nos ducit res, cum ea quae rebus proprie depingendis antecedunt quasi ἐν παρόδῳ exponat idoneis locis. Itaque ut Vergilius Aeneida ea ratione incipit, ut Iunonem inducat classem Troianorum ipsi invisam litoribus prohibere molientem Latinis, ita noster Vergilium fortasse imitatus exordiis absolutis statim Paridem fingit Sparta profectum et trans Hellespontum navigaturum cum Helena rapta, cuius navibus conspectis Thetis vaticiniis perterrita funestis classis ne Troiam appellatur omni ratione impedire conatur. Haec dum describit poeta unum tamen tangit, quod Paridis *iter praecedit culpatum*[4]), vel potius eius reditu evenit, dico somnium Hecubae, de quo pauca liceat addere. Dicit enim poeta versu 22: *plenaque materni referens praesagia somni* h. e. Helena rapta eveniunt, quae Hecuba somnio praesagierat. *Haec enim,* ut scholiastae[5]) ad v. 22 verbis utar, *dum praegnans esset Paride vidit in somniis facem se parere, quod fuit praesagium futuri incendii.* Idem scholiasta de Hecuba praemittit haec: *Hecuba filia secundum Euripidem Cissei, quem Ennius, Pacuvius et Vergilius sequuntur, unde idem Vergilius,*

[1]) vers. 69 seqq.

[2]) cf. Ov. Heroid. XV 193 seqq., XVI 154 seqq.

[3]) cf. I 20 *incautas blande populatus Amyclas,* II 68 *inlicitis dolis,* II 69 *facili raptu,* I 401 *captam sine Marte, sine armis,* I 66 *spolia hospita* (Helena).

[4]) cf. Ach. I 23.

[5]) Lactantii Placidi qui dicitur commentarios in Statii Theb. et commentarios in Achilleida recensuit Jahnke, Lips. 1898.

nec face tantum Cisseis praegnans ignis enixa iugalis.[1])
Fabula ipsa usitatissima poetis, velut Ovidius Helenam ad Paridem scribentem facit:

fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
ante diem partus est tua visa parens.[2])

Unde Statius hauserit, pro certo dici vix potest.

Hoc igitur somnium Hecubae matris Paris plenum reddit Helena rapta, qua re perterrita Thetis bellum inde oriundum fatumque Achillis quondam a Proteo praedictum appropinquare providens, postquam Neptunum ut classem funestam mergeret frustra adiit precibus, ipsa Thessaliam petit, unde Chirone defraudato magistro puerum Scyrum transportatum regis placidissimi Lycomedis mandet et committat tutelae sortemque ei bello imminentem praevertat et caveat.

Sed haec omnia priusquam accuratius exponamus, nobis componenda sunt ea quae poeta tradit de Achille ipso Chironis curae nondum commisso. Atque a nuptiis ut repetamus supra enarratis poeta cum nil dicat de Peleo et Thetide, ubi habitaverint, quam diu matrimonio fuerint iuncti, nil de Achille nato, unam tangit fabulae partem a nullo, quantum scimus, ante nostrum poeta memoratam eam quod tradit Achillem modo natum a matre in Stygis fluctus esse immersum, ut invulnerabilis fieret: I 133 seq., ubi dea dicit se somniis atris cruciari et filii timore sollicitari, velut his

saepe ipsa — nefas! — sub inania natum
Tartara et ad Stygios iterum fero mergere fontes.

Eadem I 269 seqq. filium ut virgineas vestes induat movere studet et obsecrat his:

si progenitum (sc. te) *Stygos amne severo*
armavi — totumque utinam! — cape tuta parumper
tegmina e. q. s.

---

[1]) cf. Serv. ad Aen. VII 319.

[2]) Heroid. XVI 237 seqq.; cf. praeterea Euripid. Troad. 915; Lycophron. Alex. v. 224; Schol. Γ 325; Apoll. bibl. III 148, Hygini fab. 91.

Denique I 475 seqq. Achivi Achillem flagitantes dicunt eum unum Troiam expugnare posse; *quis enim alter* a Chirone educatus sit,

> *patrii propior cui linea caeli,*
> *quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes*
> *Nereis et pulchros ferro praestruxerit artus?*

Fingit igitur poeta Achillem a matre in Stygem immersum invulnerabilem factum esse excepta una corporis parte, qua eum bello imminente periturum esse mater non ignorat. Hanc fabulam, etsi ante Statium nusquam occurrit, tamen non ab eo novatam, sed e fonte haustam esse vetustiore nobis deperdito cognoscemus vestigia persecuti eorum, qui praeter eum fabulam tangunt vel narrant. Ac primum quidem Hyginus[1]) de Achillis nece tradit haec: *Hectore sepulto cum Achilles circa moenia Troianorum vagaretur et diceret se solum Troiam expugnasse, Apollo iratus Alexandrum Parin se simulans talum, quem mortalem habuisse dicitur, sagitta percussit et occidit.* Idem fere tradunt Apollodorus[2]) et Quintus Smyrnaeus.[3]) Qui etsi non memorant, qua ratione factum sit, ut Achilles solum talum mortalem sive vulnerabilem haberet, tamen ex Hygini verbis notatis licet colligere vulgatam fuisse talem fabulam, qualem praeter Statium nobis servavit Servius[4]) his: *Achilles a matre tinctus in Stygem paludem toto corpore invulnerabilis fuit excepta parte qua tentus est; qui cum amatam Polyxenam ut in templo acciperet statuisset, insidiis Paridis post simulacrum latentis occisus est; unde fingitur quod tenente Apolline Paris*

---

[1]) fab. 107.

[2]) epit. 5, 3: *διώξας δὲ τοὺς Τρῶας πρὸς ταῖς Σκαιαῖς πύλαις ἐτοξεύθη ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀπόλλωνος εἰς τὸ σφυρόν.*

[3]) III 62: *καί ἑ θοῶρ οὔτησε κατὰ σφυρόν.*

[4]) ad Verg. Aen. VI 57 [*Phoebe, Dardana qui Paridis direxti tela manusque corpus in Aeacidae*].

direxerit tela[1]), et Fulgentius[2]): *Denique Achillem natum velut hominem perfectum mater in aquas intinguit Stigias, id est durum contra omnes labores munit, solum ei talum non tinguit* e. q. s.

Iam si quaerimus, unde fabulam hauserint illi, dixerit fortasse quispiam eos, quoniam postea fuerint, secutos esse Statium.

---

[1]) Servium exscripsit Lactantius qui vocatur Placidus scholiasta ad Achilleidos I 134 (cf etiam quae similia ad versus adnotavit 269 et 480), non solum omnibus fere locis, ubi fabulas refert, sed etiam aliis, adeo ut quae ex suo addidit nihil fere nisi glossae et simplices verborum explicationes relinquantur. Conferas enim locos sub uno conspectu positos hos:

Lactant.	Plac.	ad	Ach.	I 21	et	Serv.	ad	Verg.	Aeneid.	X 91.
„	„	„	„	I 22	„	„	„	„	„	VII 320.
„	„	„	„	I 36	„	„	„	„	„	I 458.
„	„	„	„	I 65	„	„	„	„	Georg.	II 140.
„	„	„	„	I 89	„	„	„	„	Aeneid.	II 610.
„	„	„	„	I 93	„	„	„	„	„	II 81, XI 260.
„	„	„	„	I 134	„	„	„	„	„	VI 577, 57.
„	„	„	„	I 180	„	„	„	„	„	VI 121.
„	„	„	„	I 189	„	„	„	„	Georg.	III 4.
„	„	„	„	I 192	„	„	„	„	Aeneid.	VI 14.
„	„	„	„	I 206	„	„	„	„	„	III 73.
„	„	„	„	I 220	„	„	„	„	„	IX 5, 2.
„	„	„	„	I 238	„	„	„	„	„	VIII 294.
„	„	„	„	I 264	„	„	„	„	„	VI 448.
„	„	„	„	I 330	„	„	„	„	„	IV 137.
„	„	„	„	I 353	„	„	„	„	„	I 490
„	„	„	„	I 387	„	„	„	„	„	III 104.
„	„	„	„	I 388	„	„	„	„	„	III 73.
„	„	„	„	I 390	„	„	„	„	„	III 126.
„	„	„	„	I 397	„	„	„	„	„	I 619.
„	„	„	„	I 444	„	„	„	„	„	VI 1.
„	„	„	„	I 447	„	„	„	„	„	IV 426.
„	„	„	„	I 472	„	„	„	„	„	VI 529.
„	„	„	„	I 480	„	„	„	„	„	VI 234.
„	„	„	„	I 593	„	„	„	„	„	I 441.
„	„	„	„	I 763	„	„	„	„	„	I 91.

[2]) Mitologiarum III 7 pag. 71 v. 9 seqq. ed. Helm.

Sed hoc sumere et probare nos vetat primum, quod vix credi potest Quintum Smyrnaeum poetam Graecum Stati fragmentum legisse et fontis loco eo usum esse, deinde, quod Apollodori et Hygini compendia e libro fluxisse fabulari, quem Bethius primo a. C. n. attribuit saeculo, supra notavimus [1]), denique Servium notitiam fabulae non Statio debere iam inde colligi potest, quod in fabula enarranda eius omnino mentionem non fecit. [2]) Verisimile igitur est fabulam totam iam narratam fuisse in compendiis mythologicis et inde petitam eam primum carmini inseruisse epico Statium. Accedit quod fabulam talem novisse et spectare mihi quidem videntur iam Vergilius et Ovidius, cum dicant direxisse Appollinem Paridis sagittam in Achillis corpus [3]); nam hoc verbo mihi quidem significare voluisse videntur certam tantum neque facile feriendam corporis partem vulnerari potuisse; idem sensit Servius, cum adnotaret ad Aen. VI 57: *bene ait „direxti“ quasi ad solum vulnerabilem locum.*

Ad eandem fere aetatem et eosdem fere fabulae fontes ducimur in originem duarum imaginum inquirentes, quibus fabula nostra expressa invenitur ita, ut conspiciamus puerum a matre pedis articulo prehensum et praecipitem in fluvium immersum, qui fluvius significatur in altera imagine Amne barbato, qui aquam ex urna profundit, in altera nympha simili vice fungente. Atque monumenta, in quibus imagines incisae sunt, etsi ipsa aetate Statiana multo inferiora esse viri artis antiquae peritissimi rationibus ducti technicis consentiunt — alterum enim, tensa quae vocatur Capitolina, temporibus, quibus floruerunt Antonini Caesares, attribuitur a Castellani [4]),

[1]) pag. 2.

[2]) nam quod in codice Dresdensi ad Aen. VI 57, Ach. I 269 laudatur, hoc Italorum saec. XV additamentum esse Thilo statuit, ut in eodem codice ad Aen. I 73, Ach. I 101 laudatur; cf. Thilo praef. pag. XCI seq.

[3]) cf. Aen. VI 57, Metamorph. XII 601.

[4]) „Di uno carro sacro, ovvero di una tensa con rivestimento di bronzo, e d' suoi rilievi“, in Bulletino della commissione archeologica communale di Roma 1877 pag. 133.

alterum, puteal cui nomen est Capitolinum, aetati Romanae inferiori a Baumeister[1]) —, tamen artifices notitiam fabulae hausisse e fragmento Statiano ne sumamus obstat, quod in utroque monumento praeter nostram fabulae ad Achillem pertinentes descriptae sunt, quae apud Statium omnino non leguntur, et vix credi potest artifices fabulas singulas e diversis fontibus petitas composuisse, immo multo verisimilius est eos, nisi exempla similis generis sibi proposuerunt imitanda, materiam fabularem sumpsisse e talibus fontibus, in quibus fabulae, quae ad singulas gentes et heroas spectabant, omnes certo ordine compositae legebantur, cuius generis fuerunt *κύκλοι* qui vocantur *ἱστορικοί*, qualem Dionysi Scytobrachionis librum describit Diodorus[2]) qualisque imaginibus illustratus nobis servatus est tabula quae vocatur Iliaca.

Qualeseumque igitur artificum fontes putamus fuisse — et non eosdem fuisse iam inde efficitur, quod et in fabulis eligendis et exprimendis inter se discedunt artifices, velut Styx in tensa significatur nympha, in puteali Amne, alia — hoc nemo negabit eos similes fuisse et eiusdem fere generis, unde Statium et scriptores fabulares hausisse supra verisimile esse cognovimus. Omnia igitur quae nobis servata sunt fabulae vestigia persecuti pro satis certo dicere possumus eam originem ducere e fonte Graeco. Quis tamen poetarum eam novaverit quoque tempore vix poterit statui, certe post Homerum, nam hic Achillem invulnerabilem fuisse nusquam memorat neque ullo verbo alludit, quamquam eius caedem bis tangit[3]); sed hoc nos non prohibet sumere fabulam iam tum notam fuisse et ore traditam, contra talem non solum Graecis, sed indo-

---

[1]) Denkm. vol. I pag. 4; cf. Birt, l. l. pag. 314 seq.

[2]) III 66: *Διονυσίῳ τῷ συνταξαμένῳ τὰς παλαιὰς μυθοποιίας· οὗτος γὰρ τά τε περὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὰς Ἀμαζόνας, ἔτι δὲ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον πραχθέντα καὶ πόλλ' ἕτερα συντέτακται, παρατιθεὶς τὰ ποιήματα τῶν ἀρχαίων τῶν τε μυθολόγων καὶ τῶν ποιητῶν.*

[3]) *X* 359 seqq., *Φ* 277 seqq.

germanicis quae vocantur gentibus genuinam et inveteratam fuisse confirmatur fabula fere gemella de Germanorum carminis epici heroe tradita, quem sanguine draconis lautum impenetrabilem factum esse tradunt excepta una corporis parte, ubi postea ab Hageno insidioso hasta percussus sit. Et ut hanc fabulam ad pueritiam proprie herois pertinentem auctor carminis epici illi parti, qua caedem iuvenis fortissimi describit, quasi *ἐν παρόδῳ* inseruit, ita Arctinum quoque, qui primus necem Achillis in Aethiopide copiose narravit, si quidem Proclo fidem habemus — nam Homerus eam tantum stringit et quasi praedicit —, fabulam de Achille paene invulnerabili vulgo traditam in usum suum convertisse et carmini inseruisse facile fingi potest. Unum tamen videtur obstare hoc, quod in Cypriis, si quidem Apollonium Rhodium non modo libri IV versus 798 seqq., sed etiam eiusdem libri versus 865—77, quibus continuatur fabula, e Cypriis hausisse Reitzensteinium[1]) secuti recte colligimus, fabula narrata fuit, quam Apollodorus[2]) reddit his: *ὡς δὲ ἐγέννησε Θέτις ἐκ Πηλέως βρέφος, ἀθάνατον θέλουσα ποιῆσαι τοῦτο, κρύφα Πηλέως εἰς τὸ πῦρ ἐγκρυβοῦσα τῆς νυκτὸς ἔφθειρεν ὃ ἦν αὐτῷ θνητὸν πατρῷον, μεθ' ἡμέραν δὲ ἔχριεν ἀμβροσίᾳ. Πηλεὺς δὲ ἐπιτηρήσας καὶ ἀσπαίροντα τὸν παῖδα ἰδὼν ἐπὶ τοῦ πυρὸς ἐβόησε· καὶ Θέτις κωλυθεῖσα τὴν προαίρεσιν τελειῶσαι, νήπιον τὸν παῖδα ἀπολιποῦσα πρὸς Νηρηΐδας ᾤχετο.* Quae fabula etsi cum nostra congruit eo, quod Thetis frustra fatis Achilli destinatis adversari conatur, tamen discedit ab ea et tota ratione immortalitatis parandae a Thetide adhibita et eo, quod in Cypriis Thetis puerum plane immortalem, in nostra fabula invulnerabilem facere studet. Itaque utramque fabulam in carminibus cyclicis narrari potuisse quin sumamus nihil obstat, mirum tamen esse negari non potest, quod alterius omnia fere vestigia evanuerunt usque ad Stati tempora, cum alteram servarint Apollonius et

---

1) l. l. pag. 78.
2) bibl. III 171.

Apollodorus, nec minus quod illa, antiquis fere obliterata nobis tam trita est facta, ut in proverbii usum abierit (quoniam partem hominis cetera praestantissimi infirmam vernaculo sermone ‚Achillesferse' appellare solemus), fortasse ea de causa, quod propius accedit ad fabulam de nostrae gentis quasi altero Achille supra allatam.

Haec quidem de Achille in Stygem fluvium immerso. Ut quae eruimus, paucis complectamur, fabulam, etsi apud Statium legitur primum, tamen non ab eo novatam, sed ex libris fabularibus sumptam esse verisimile est, quamquam unde mythographi illi eam hauserint, in dubio relinquitur, fortasse ex carmine cyclico.

Caput II:

De Achille apud Chironem educato.

Iam ad alteram partem ut progrediamur, nobis inquirendum est in ea, quae ad Achillem apud Chironem educatum spectant, ea ratione, ut ab Homero profecti fabulam varie formatam cum Stati ratione comparemus et statuamus primum, quanam de causa Achilles Centauro infans traditus esse, deinde, utrum a Peleo an a Thetide, tum, quo modo Chiron educationem instituisse feratur.

Atque Homero quidem ignota est haec fabula. Nam omnibus locis huc spectantibus tradit nobis poeta Achillem puerum a matre Pthiae domi patris nutritum [1]) a Phoenice institutum esse arte bellica et rhetorica[2]) una cum Patroclo[3]), a quo comitatus Troiam profectus sit[4]) Thetide non invita sortis filii quamvis conscia.[5]) Non apud Chironem educatus esse traditur[6]), nisi quod medicinae imbutus esse dicitur a Chirone[7]), quem versum tamen fontem totius fabulae a posterioribus auctae fieri potuisse verisimile est et fuisse pro certo affirmat Robertus[8]), cum Gruppius[9]) totam fabulam iam notam fuisse ei, qui illam carminis partem composuerit, verisimilius esse censeat. Colligi hoc posse concedo, sed argumenta desunt. Nobis statuendum est, quis primus fabulam

---

[1]) *Σ* 436—438 = 57 seqq.; cf. *Λ* 396.

[2]) *Ι* 441—443, cf. 485 seqq.

[3]) *Ψ* 84—90.

[4]) *Λ* 763—784.

[5]) *Σ* 439—441.

[6]) cf. Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis, Lips. 1865, pag. 190; Schol. Apollon. Rhod. I 558; Schol. Pind. Nem. III 75.

[7]) *Λ* 832: *ὅν* (sc. Achillem) *Χείρων ἐδίδαξε, δικαιότατος Κενταύρων.*

[8]) Bild und Lied pag. 123 adnot. 58.

[9]) Griech. Mythologie pag. 668 adnot. 1.

Homericae oppositam causis additis formavisse et carmini inseruisse videatur. — Atque Achillem matre orbatum apud Chironem educatum esse antiquissimus nobis testis est Pindarus, qui Pyth. VI 21 narrat Chironem in montibus sapientiae praecepta dedisse ὀρφανιζομένῳ Πηλεΐδᾳ. Idem fere tradit Apollodorus[1]), quem e Pherecyde hausisse quae de Peleo narraverit Robertus demonstrat.[2]) Quaeritur, unde illi fabulam sumpserint, nam Pindarum fabulam spectare vetustiorem ipse testatur l. l., cum dicat: τά ποτ' ἐν οὔρεσι φαντὶ ... Φιλύρας υἱὸν .. παραινεῖν. Atque Robertus (l. l.) carmen Hesiodeum, quo etiam quae ad nuptias spectantia narrat Pindarus descripta fuisse cum Gruppio coniecimus, Pindari et Pherecydis fontem fuisse communem verisimile esse statuit. Fortasse tota fabula iam Cypriorum poetae possit tribui, si cum Reitzensteinio pro certo possimus colligere Apollonium Rhodium omnes fabulas ad Peleum et Thetidem pertinentes e Cypriis hausisse. Hic enim libri IV versibus 865 – 77 et 810 seq. fabulam memorat ita, ut priore loco qua de causa Thetis puero relicto a Peleo digressa in mare redierit exponat, altero Achillem — nimirum a Peleo traditum — Chironis in stabulis a nymphis nutritum esse. Sed dubium est, num hoc Cypriis debeatur; nam Apollonium etiam Pindari sive Hesiodi vestigia pressisse in fabulis formandis versus docent eiusdem libri 798—802 secundum fabulam Hesiodeam Cypriorum narrationi illati. Itaque cum Roberto carmen Hesiodeum fabulae fontem accipere malim, quamquam non nego eam iam in Cypriis occasione data narrari potuisse.

Iam si quaeris, quanam de causa Thetis Peleum deseruerit, Apollodorus et Apollonius Rhodius tradunt deam filio immortalitatem paraturam a Peleo impeditam esse, qua re offensa et irata puero relicto in mare redierit.[3]) Eandem vel

[1]) bibl. III 172.

[2]) De Apollodori bibliotheca, Berol. 1873, pag. 67.

[3]) Similia leguntur schol. II 37; Ptolem. Hephaest. VI; Tzetzae schol. ad Lycophr. 178.

similem fabulam videtur spectasse Sophocles, qui scholiasta ad Apollon. Rhod. IV 816 teste *ἐν Ἀχιλλέως ἐρασταῖς φησιν ὑπὸ Πηλέως λοιδορηθεῖσαν τὴν Θέτιν καταλιπεῖν αὐτόν.* Aristophanes causam et comoediae et *λόγῳ ἀδίκῳ* aptissimam profert hanc[1]: *τὴν Θέτιν ἔγημε ... ὁ Πηλεύς. κᾆτ' ἀπολιποῦσα γ' αὐτὸν ᾤχετ', οὐ γὰρ ἦν ὑβριστὴς οὐδ' ἡδὺς ἐν τοῖς στρώμασι τὴν νύκτα παννυχίζειν.* Quaecumque fuit causa discidii inter Peleum et Thetidem orti, hoc uno ore tradunt omnes, qui ad fabulae fontem proxime accedunt, Peleum Thetide digressa coactum esse infantem, ne matre orbatus periret, Chironi alendum et educandum tradere vicino et amicissimo.

Ab hac genuina fabulae forma etiam imaginibus varie expressa (velut in throno qui vocatur Amyclaeo Pausanias[2]) cum multa alia anaglypha incisa describit tum hoc: *παραδίδωσι δὲ καὶ Πηλεὺς Ἀχιλλέα τραφησόμενον παρὰ Χείρωνι, ὃς καὶ διδάξαι λέγεται)* Statius, etsi discidium inter coniuges factum esse fingit — nam initio carminis Thetidem cum sororibus e mari emergentem inducit — tamen eo discedit, quod non a Peleo, sed a Thetide ipsa puerum modo natum Chironis curis mandatum esse tradit locis his: I 38 seqq., ubi Thetis ipsa se incusat:

Quid enim cunabula parvo
Pelion et torvi commisimus antra magistri?

deinde I 650 seqq., ubi Achilles Deidamiam modo vi oppressam consolatur his:

ille ego — quid trepidas? — genitum quem caerula mater
paene Iovi silvis nivibusque inmisit alendum
Thessalicis.

Poeta igitur fabulam ita formavit, ut fingeret Thetidem aliqua de causa, fortasse quod sorti iniquae, qua coacta Pelei coniugium subierat, puero nato satis fecisse sibi videbatur,

---

[1]) Nub. v. 1067 seqq. ed. Meineke.
[2]) III 18, 12 ed. Hitzig-Blümner.

cum puero a Peleo discessisse et *Achillem suum*[1]) in Stygem immersum, quod secum in mare portare non poterat, Chironi commisisse alendum et instituendum. Peleus senex prorsus neglegitur, Thetidi matri omnes pueri curae tribuuntur

Haec fabulae forma ab antiquissimis et scriptoribus et artificibus[2]) plane aliena praeter Statium bis, quantum equidem vidi, invenitur usurpata: primum ab eo, qui fecit puteal quod vocatur Capitolinum, ubi conspicitur Achilles a muliere velata et in Stygem intinctus et Centauro mandatus, cum is, qui incidit tensam Capitolinam, fabulam secutus sit antiquitus traditam. Deinde eandem formam in usum suum convertit Orpheus Argonauticorum qui vocatur auctor, nisi quod Peleo conscio et consentiente Achillem a Thetide Chironi traditum videtur finxisse. Peleum enim cum Argonautis Chironem visurum dicentem facit haec[3]): *ὦ φίλοι, ἀθρεῖτε σκοπιῆς προὔχοντα κολωνόν ... ἔνθα τε Χείρων ναίει ... 387 τῷ ῥα καὶ ἡμέτερον κοῦρον Θέτις ἀργυρόπεζα νήπιον ἀρτιγένεθλον ἐν ἀγκαλίδεσσι λαβοῦσα Πήλιον εἰνοσίφυλλον ἔβη Χείρωνι τ' ἔδωκεν εὖ καὶ ἐπισταμένως ἀγαπαζέμεν ἠδ' ἀτιτάλλειν.* Quibus comparatis efficitur fabulam non a Statio esse novatam, etsi ante eum nusquam occurrit, sed e fonte depromptam vetustiore deperdito, e quali etiam posteriores hausisse probabile est. Nam artificem, qui puteal illustravit Capitolinum, materiam fabularem e cyclo hausisse mythologico multo verisimilius esse quam e fragmento Statiano iam supra demonstravimus[4]) et poetam, qui Argonautica com-

---

[1]) cf. I 37.

[2]) nam quod in vasis nonnullis pictis (cf. Overbeck, Galerie heroischer Bildwerke I pag. 282 nr. 1—6) Thetis conspicitur, dum Peleus Achillem Chironi tradit, hoc Robertus inde factum esse recte demonstravit, quod pictores illi neque temporum neque loci ratione habita fabulam totam, quantum possent, sub uno conspectu ponere studuerint (Bild und Lied pag. 52, 123 adn. 58).

[3]) vers. 379 seqq. ed. G. Hermann.

[4]) cf. pag. 20.

posuit, Graecum fabulae notitiam Statio debere eo minus credibile est, quod ne Vergili quidem carmen celeberrimum poetis epicis posterioribus Graecis Quinto Smyrnaeo Tryphiodoro fontis loco quo uterentur propositum fuisse pro certo dici potest.[1]) Sumendum igitur esse censeo fabulam a poeta aliquo Graeco — fortasse picturis, quibus Achillem Thetide praesente traditum depingi supra adnotavimus, male intellectis — variatam a mythographis cyclicis enotatam esse et inde petitam a Statio et ceteris.

Iam priusquam ad Achillis apud Chironem educationem progrediamur enarrandam, pauca libet praemonere de Patroclo una cum Achille a Chirone educato. Tradit enim Statius, ubi de Achille a venatu redeunte loquitur, haec[2]):

insequitur magno iam tunc conexus amore
Patroclus tantisque extenditur aemulus actis,
par studiis aevique modis, sed robore longe[3]),
et tamen aequali visurus Pergama fato,

---

[1]) Dissentiunt enim de hac re viri docti, cum alii illos poetas e Vergilio pendere affirment (cf. Kehmtzow, de Quinti Smyrnaei fontibus et mythopoeia Kiliae 1891; Noack, Götting. gelehr. Anz. 1892 pag. 795 seqq.; Hermae vol. XXVII pag. 457 seqq.; Mus. Rhen. 48, pag. 420 seqq.) alii negent (Heinze, Vergils epische Technik pag. 63 seqq.; Norden, Nov. annal. VII 1901 pag. 329 [1]; Kroll, Fleckeiseni annal. suppl. XXVII pag. 162 seqq.). Mihi quidem, si in hac re lubrica iudicium facere licet, verisimilius videtur quod Heinzius statuit Graecos poetas, ubi cum Vergilio congruant, non ex illo, sed ex eodem cum illo fonte hausisse. Et quae ratio intercedat inter poetas Graecos et Romanos Kroll (l. l. pag. 163) significat his: „Die Benutzung eines römischen Dichters durch einen griechischen ist etwas so Außergewöhnliches, daß es schon sehr starker Argumente bedürfte, um sie glaublich zu machen: und solche Argumente sind bisher nicht beigebracht."

[2]) cf. I 174 seqq.

[3]) In hoc versu pangendo Statio obversatus videtur esse locus ille Homericus (Λ 786 seqq.), ubi Menoetius filium cum Achille ad bellum profecturum monet: *τέκνον ἐμόν, γενεῇ μὲν ὑπέρτερός ἐστιν Ἀχιλλεύς, πρεσβύτερος δὲ σύ ἐσσι· βίῃ δ' ὅ γε πολλὸν ἀμείνων.* Patroclus igitur viribus multo inferior dicitur fuisse Achille. Hoc si tenemus, Sand-

idem postea[1]) Achillem Scyro abditum amici apud Chironem relicti memorem fingit his:

tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus
nutritosque mihi scandis, Patrocle, iugales.

Atque Patroclum una cum Achille educatum esse iam narrat Homerus[2]), sed Pthiae apud Peleum, unde profectum aliquis fingere possit Statium amicos a pueris arctissime iunctos a Pelei domo in Pelion quasi transtulisse. Sed hanc fabulae mutationem iam multo ante Stati tempora factam esse exemplum docet Philostephani Cyrenaei, qui ab Homero non nisi eo discedit in Patrocli historia enarranda, quod recentiores secutus Patroclum a Peleo, qui eum receperat Amphidamantis filio necato, ad Chironem missum et ab eo simul cum Achille educatum esse tradit, si quidem fidem habemus scholiastae, qui ad Iliadis *Π* 16[3]) de Patroclo adnotat haec: *ὁ δὲ ἀποκτείνας καὶ αὐτὸς ἀκουσίως* (ut ante Telamon et Peleus) *Ἀμφιδάμαντος παῖδα [Κλησώνυμον καὶ ἐπὶ τούτῳ φυγὼν εἰς Φθίαν πρὸς Πηλέα κατὰ συγγένειαν ἐπέμφθη παρ' αὐτοῦ πρὸς Χείρωνα], ὃς αὐτὸν μετ' Ἀχιλλέως ἔθρεψεν. ἡ· ἱστορία παρὰ Φιλοστεφάνῳ.*[4]) Hanc fabulam a Philostephano variatam paucis

---

stroemii refellitur emendatio, qui contra librorum consensum „*nec r. l.*" scribendum esse proposuit pro „*sed r. l.*" (Studia critica in Papinium Statium, Upsaliae 1878, pag. 39).

[1]) I 632 seqq.

[2]) *Ψ* 84—90.

[3]) Mirus observatur error in scholio laudando a Muellero (F. H. G. III 25) et Eschero (Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie III pag. 2306) admissus. Alter enim fragm. 35 fontem indicat schol. Il. *β* 14, fortasse eo adductus, quod *Π* 14 intellexit esse II 14 locis non comparatis; alter Muellero confisus enotavit schol. Il. II 14 et XIV 14 neutro loco collato; nam Il. II 14 schol. non ad rem spectat et XIV 14 scholio caret (contra XVI 14 idem est ac *Π* 14!).

[4]) Pro verbis uncis inclusis, quae Im. Bekker (Scholia in Homeri Iliadem Berol. 1825) Didymo tribuit, in Veneto *A* (ex Dindorfii recensione, Oxonii 1875) leguntur haec: *Κλεισώνυμον ἔπεμπε πρὸς Πηλέα τὸν Χείρωνος θεῖον,* quae verba corrupta esse apparet. Primum enim

lustris ante quam Statius fragmentum componere instituit, in usum suum convertit Valerius Flaccus, ita tamen, ut Patroclum non a Peleo missum, sed a patre cum Argonautis in Colchos profecturo Chironi traditum fingeret Argonauticorum libr. I versibus 407 seqq.:

linquit et Actorides natum Chironis in antro,
ut socius caro pariter meditetur Achilli
fila lyrae pariterque leves puer incitet hastas,
[*discat eques placidi conscendere terga magistri*] [1])

quos versus Statio obversatos esse facile cognosces, si comparaveris e. g. Ach. I 176 *par studiis aevique modis,* quae verba illustrantur et explicantur Valeri versibus 408, 9. Itaque etsi utrumque e communi fonte hausisse negari non potest, tamen mihi quidem longe verisimilius videtur esse Statium a Valerio Flacco pendere et eius exemplo adductum esse, ut fabulam de Patroclo cum Achille apud Chironem educato carmini insereret. Ceterum Patroclus Achillis splendore quasi umbra obrutus satis neglegitur et a Thetide et a Chirone, additus Achilli simili ratione, qua in tragoedia Pylades Oresti.

His peractis Chironis antrum animo quasi ingressi videamus primum, qualis ipse fuisse narretur, deinde, qua ratione

---

ἔπεμπε sensu caret, requiritur passivum; deinde quod Peleus Chironis θεῖος appellatur, explicari non potest nisi ea ratione, ut hac voce affinitatem significari in universum statuamus, cuius usus tamen exempla desunt. θεῖος semper idem valet ac patruus vel avunculus (et revera Peleus θεῖος fuit Patrocli secundum Hesiodum, qui tradit teste Eustathio [Homer. 112, 44 seq., cf. Rzach² frg. 84] Menoetium Pelei fratrem fuisse). Tum, licet statuamus voce θεῖος significari affinitatem in universum, tamen in dubio relinquitur ὅς pronomen utrum ad Chironem referendum sit an ad Peleum. Quibus consideratis scholii minoris lectionem praeferendam esse censeo.

[1]) Hunc versum seclusit Schenkl, cf. eius Studien zu den Argonautica des Valer. Flacc., Wien 1871, pag. 12.

educationem alumni instituisse feratur. Domum vel potius stabulum Centauri in Pelio monte situm poeta bene depingit I 106 seqq. simili ratione, qua Ovidius.[1]) Chiron ipse senex fingitur[2]) ita tamen, ut poeta eum, dum in Achille versaretur educando, consenuisse cogitet pedum velocitate adeo minuta, ut qui prius, *dum velox aetas*[3]) cum Achille cursu certaret eumque semper comitaretur, tum, cum Thetis eum visit[4]), domi Achillem exspectare cogeretur[5]); *γέρων* etiam a Theocrito appellatur.[6]) Animo mitiore quam *fratres nefandi* pugnae Lapitharum non interfuit, *sed pharetrae insontes et inania terga ferarum.*[7]) Hoc fortasse inde finxit poeta, quod Chiron Centauris semper oppositus *δικαιότατος* appellatur *Κενταύρων*[8]), vel *σώφρων*[9]) vel *εὐσεβέστατος*[10]) et *σοφώτατος.*[11]) Unde etiam eum iustitiae amantissimum gentibus Peliacis leges dedisse et Centauros discordes pacare solitum esse tradit poeta.[12]) Similia narrat Orpheus qui vocatur in Argonauticis de Chirone.[13]) Unde efficitur talia e fonte Graeco fluxisse, fortasse e Chironis

---

[1]) fastor. V 381 seqq.:

> *Pelion Haemoniae mons est obversus in austros:*
> *summa virent pinu, cetera quercus habet.*
> *Phillyrides tenuit. saxo stant antra vetusto,*
> *quae iustum memorant incoluisse senem.*

[2]) cf. I 106 *longaevus*, 239 *doctus . . . senex*, II 97 *senior*.
[3]) cf. II 114.
[4]) I 118 seqq.
[5]) cf. etiam II 126 seq.
[6]) carm. VII v. 150.
[7]) cf. I 111—115.
[8]) Il. *Λ* 832.
[9]) Pind. Pyth. III 63.
[10]) Eurip. Iph. Aulid. 926.
[11]) Platon. rei publ. III 391 C.
[12]) II 164 seqq.
[13]) v. 381 seqq.: *δικαιότατος Κενταύρων, ... ᾧ ῥα δικασπολίη μέλεται . . . . πᾶσι περικτιόνεσσι δικασπολίας ἀναφαίνει.*

praeceptis[1]) Hesiodo tributis[2]), quae cum Theognideis et Phocylideis componit Isocrates.[3]) Quibus praeceptis etiam factum esse videtur, ut Chiron comicis poetis exemplum quasi magistri sapientis et severi, *ὁ παιδαγωγὸς κατ' ἐξοχὴν* haberetur, velut Plato comicus Damonem, qui Periclem musica arte instituisse traditur[4]), carpit his[5]): *πρῶτον μὲν οὖν μοι λέξον, ἀντιβολῶ· σὺ γάρ ὥς φασι Χείρων ἐξέθρεψας Περικλέα* et *Χείρων* inscripta fuit fabula Pherecratis[6]), cuius magnam partem *ad artis musicae depravationem* pertinere Kockius manifestum esse adnotat. Denique Cratinus in fabula *Χείρωνες* quae inscripta erat, chorum Chironum induxit, *ut civibus praecepta liberorum recte educandorum et rei publicae prudenter administrandae daret.*[7]) Unde apparet, quam notus fuerit Chiron cum aliarum tum artis musicae magister, qualem eum describunt poetae Romani, qui ante Statium fuerunt, velut Ovidius[8]), Seneca.[9]) Nec minus celebris fuit eius medicinae scientia[10]) inde ab Homero[11]), et venandi exercitationem eum heroas quasi bellandi praeludium docuisse narrat

---

[1]) Quae *Χείρωνος ὑποθῆκαι* quantopere usitatae fuerint apud Graecos in pueris et iuvenibus instituendis docet pictura vasis cuiusdam Attici (Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines etc. vol. II pag. 469, fig. 2600), ubi conspiciuntur iuvenes duo, qui audiunt tertium legentem, ante quem posita est cista, quae libros continet cum alios tum unum qui inscribitur *ΧΙΡΟΝΕΙΑ*. cf. Birt, l. l. pag. 148.

[2]) cf. Rzach[2] fragm. 170—173.

[3]) ad Nicocl. 43 ... *καὶ γὰρ τούτους* (sc. Hesiodum, Theognidem, Phocylidem) *φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων κ. τ. λ.*

[4]) cf. Plutarch. vit. Pericl. cap. IV.

[5]) C. A. F. I 191 ed. Kock.

[6]) cf. ibid. pag. 187.

[7]) cf. Kock pag. 82.

[8]) artis amat. I 11—17, fastor. V 385 seqq.

[9]) Troad. 830 seqq.

[10]) Ach. I 116—118.

[11]) cf. *Λ* 830 seqq.

Xenophon[1]) in cynegetici exordio. Quas disciplinas omnes Chironi tributas Philostratus sub uno componit conspectu simili ordine, quo Statius iis Achillem a Chirone institutum esse describit[2]), praetermissis tamen gymnicis et reliquis, quae ad educationem instituendam universam necessaria Statium Chironi tribuisse videbimus.[3])

Haec de Centauro ipso Achillis magistro. Iam videamus, quo modo infantem sibi mandatum ad adulescentiam perduxerit. Atque primum quidem puerum modo natum et lactis materni expertem nutricis instar Centaurus alebat visceribus leonum et medulla luparum semianimarum.[4]) *Haec mihi prima Ceres, haec laeti munera Bacchi, sic dabat ille pater,* Achilles ipse narrat versibus insequentibus.[5]) Idem tradit Apollodorus.[6]) Unde licet suspicari hanc fabulam iam narratam fuisse in carmine Hesiodeo, e quo Apollodorum Pherecyde intercedente pendere Robertus verisimile esse statuit.[7]) Quae fabula contraria ei, quam secutus est Apollonius Rhodius,

---

[1]) vel is, qui hunc librum conscripsit.

[2]) heroici pag. 708 ed. Kayser: *Χείρωνα δὲ τὸν ἐν Πηλίῳ γενέσθαι μὲν φησιν ἀνθρώπῳ ὅμοιον, σοφὸν δὲ καὶ λόγους καὶ ἔργα, θήρας τε γὰρ ποικίλης ἥπτετο* (cf. Stat. Ach. II 102—128) *καὶ τὰ πολεμικὰ ἐπαίδευε* (cf. ibid. 129—153) *καὶ ἰατροὺς ἀπέφαινε* (cf. 159--162) *καὶ μουσικοὺς ἥρμοττε* (cf. 157 seq.) *καὶ δικαίους ἐποίει* (cf. 163—165).

[3]) Addendum est quod Dümmler (Antisthenica, Halis 1882, pag. 6 adnot. 1) coniecit, iam Antisthenem cynicorum principem in dialogo, qui Hercules inscribitur, Achillis a Chirone educati mentionem fecisse, si quidem fragmentum VI pertinet ad Herculem. *Quod si recte conicio,* inquit vir doctus, *in Hercule transitus fiebat ab Alcibiadis formositate ad Achillem eiusque apud Chironem educationem, ubi Herculem invenit amicum, non δειλὸν profecto ἐραστήν. Ut ille Achillem sic Socrates Alcibiadem ad virtutem studet perducere.*

[4]) cf. Ach. II 99 seq.

[5]) cf. ibid. 101 seq.

[6]) bibl. III 172: *κομίζει δὲ τὸν παῖδα πρὸς Χείρωνα Πηλεύς. ὁ δὲ λαβὼν αὐτὸν ἔτρεφε σπλάγχνοις λεόντων καὶ συῶν ἀγρίων καὶ ἄρκτων μυελοῖς.*

[7]) cf. supra pag. 24.

qui Achillem non a Chirone solo, sed ab eius matre et coniuge nutritum esse tradit [1]), originem videtur duxisse ex nominis Achillis etymologia ea, quam adicit Apollodorus (l. l.): *καὶ ὠνόμασεν Ἀχιλλέα (πρότερον μὲν ἦν ὄνομα αὐτῷ Λιγύρων) ὅτι τὰ χείλη μαστοῖς οὐ προσήνεγκε* [2]); viscera vero leonum, medullae luporum et cervorum ideo electa sunt nutrimenta infantis, ut virtutum, quibus Achilles maxime praestitisse traditur, quasi fontes et origines demonstrarent, dico summam fortitudinem, ferocitatem, celeritatem.

Huic victui ferocitatem excitanti et augenti accessit, quod Centaurus ipse asper et severus alumnum durare et laborum patientem reddere omni modo studebat. Infans *Haemoniis sub vallibus effossa nive* reptabat Achilles (Ach. I 472), vel *gelida sub Ossa Peliacisque iugis* (I 320), vel *silvis nivibusque Thessalicis* (I 651).[3]) Vix pedibus puer valebat uti, cum *torvus magister* (I 40) eum secum trahebat per *invia*, bestiis visis arridere assuefaciebat neque expavescere undas de saxis ruentes et silvas vasto silentio obrutas.[4]) Corpus ad aestum et frigus ferenda durabatur neque molli in cubili membra fessa tendere ei licebat, sed ad Centauri collum adclinatus noctem agebat.[5]) Iam puer

---

[1]) IV 812: *ὃν δὴ νῦν Χείρωνος ἐν ἤθεσι Κενταύροιο νηϊάδες κομέουσι τεοῦ λίπτοντα γάλακτος*, ubi scholiasta adnotat: *νηϊάδες τὴν Χαρικλὼ λέγει καὶ τὴν Φιλύραν, ὑφ' ὧν ἐτράφη ὁ Ἀχιλλεύς, ὧν ἡ μὲν Χαρικλὼ γυνὴ Χείρωνος, Φιλύρα δὲ μήτηρ.* cf. etiam libri I v. 557, ubi Chiron Argonautas profecturos salutatum de Pelio monte decurrit, *σὺν δὲ καὶ οἱ παράκοιτις ἐπωλένιον φορέουσα Πηλείδην Ἀχιλῆα φίλῳ δειδίσκετο πατρί.*

[2]) cf. schol. *Π* 37: *ὁ δὲ* (sc. *Χείρων*) *λεόντων καὶ ἄρκτων μυελοῖς τρέφων ἐκάλεσεν Ἀχιλλέα*, et schol. in Aphthonium (Rhetores Graeci ed. Walz, Stuttgart 1832—36, II 621): *ὥσπερ ἐπ' Ἀχιλλέως ὅτι μυελοῖς ἐλάφων ἐτράφη.*

[3]) Hoc imitatus est Apollinaris Sidonius VII v. 171—173: (Chiron) *lactentia primum membra dedit nivibus glaciemque irrumpere plantis iussit et attritas parvum videre pruinas.* cf. Bitschofsky, De C. Sollii Apollinaris Sidonii studiis Statianis, Wien 1881, pag. 39.

[4]) cf. II 102 seqq.

[5]) II 105 seqq.; cf. I 195 seqq.

armis instructus [1]) a Chirone imprimis venatui imbutus et pedum velocitatem exercere coactus est. Unde vix duodecim natus annos tantam celeritatem assecutus est, ut cervos praeverteret fugaces et *Lapithas equos* et tela consequeretur emissa.[2]) Achillem celerrimum fuisse Graecorum iam Homerus significat epithetis qualia sunt *πόδας ὠκύς* (*A* 58 alib.) vel *ποδάρκης* (*A* 121, *B* 688 al.), quibus adductum Statium ea, quae modo de Achillis exposuimus celeritate, sua arte fingendi excogitasse suspicari aliquis posset, nisi exstarent loci, quorum memorem poetam illos versus panxisse verisimilius est, hi: Pindari Nem. 43 seqq., ubi Achillis pueri acta describuntur v. 50: *τὸν ἐθάμβεον Ἄρτεμίς τε καὶ θρασεῖ' Ἀθάνα κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν δολίων θ' ἑρκέων· ποσσὶ γὰρ κράτεσκε*, et praecipue Catulli 64 vers. 340 seq., ubi Parcae vaticinantur:

(Nascetur vobis expers terroris Achilles),
Qui persaepe vago victor certamine cursus
flammea praevertet celeris vestigia cervae,

quod Parcarum vaticinium etiam in versibus Achilleidos I 84 seqq. pangendis Statio obversatum esse iam supra suspicati sumus.[3]) Quod dicit poeta II 117 seqq. Achillem iussum esse super fluvios frigore modo concretos labi, hoc Thebeidos IX v. 797 memor videtur finxisse, ubi idem narrat de Parthenopaeo. De venatu iam ipso ut pauca addamus, Achillem cervos imbelles et *lyncas timidas* [4]) venari Chiron numquam passus est, immo

---

[1]) cf. Ach. I 40, II 106, Valer. Flacc. I 266, ubi Peleus Chironem monet:

te parvus lituos et bella loquentem
miretur, sub te puerilia tela magistro
venator ferat et nostram festinet ad hastam,

qui versus Statio obversati esse videntur.

[2]) cf. Ach. II 110 seqq.

[3]) cf. pag. 12 adnot.

[4]) Lyncas imbelles et cervos iungit Horatius (carm. IV, 6, 33, 34) praecedente Callimacho (hymn. in Dianam 16: *ὁππότε μηκέτι λύγκας μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι*), ut adnotat Kiesslingius. Fortasse Statius

bestias rapaces cubilibus excitare iussit eum, ursos, apros [1]), tigres, leaenas fetas, quali a venatione cum Patroclo redeuntem pingit poeta Achillem a matre exspectatum I 159 seqq., quos versus conferas si placet. Chiron ipse domi manebat [2]), dum Achilles venatui indulget, neque prius eum osculis recipiebat, quam tela inspexit cruore aspersa. [3])

Praeter venationem varias discebat Achilles corporis exercitationes a Chirone, quas e suo novasse videtur poeta, velut Spercheum tranare imbribus tumidum et rapidissimum, ingentes fossas transilire, iuga montium facile ascendere; neque artis bellandi vel pugnandi ignarus manebat, sed clipeo uti, arma gerere et finitimis et longinquis gentibus usitata discebat, per ardentes casas vadere, quadriiugos cursu volantes ipse pedes sistere. [4]) Quo usu cotidiano Achilles adolescebat in tantas corporis vires, ut Centauro senescenti superior esse inciperet. Nam qui prius verba magistri hortantis et minitantis audierit neque longius quam iussus ab antro evagatus sit, eum iam neque Ossam tenere neque Pelion neque *Pharsaliae nives,* sed Centauros finitimos aggressum bellum conflare Chiron ipse conqueritur coram Thetide. [5])

Sed non solum artes bellicas et ad corpus quae pertinent durandum Chiron Achillem docebat, sed etiam ludis et artibus ingenuis quae vocantur mentem alumni imbuit moresque eius formavit. Ac primum quidem artem musicam eum docuit [6]),

---

Horatiani carminis meminit (praesertim cum eiusdem carminis versus 3—20 ad Achillem spectent), dum dammas et lyncas nectit.

[1]) II 124: *fulmineosque sues*, cf. Ovid. Metam. X 550: *fulmen habent acres in aduncis dentibus apri*, Phaedri fab. I 21, 5: *aper fulmineis ad eum venit dentibus.*

[2]) cf. I 119 seqq.

[3]) II 126—128. cf. etiam Pindari Nem. III 46 seqq.: *μάχᾳ λεόντεσσιν ἀγροτέροις ἔπρασσεν φόνον κάπρους τ᾽ ἔναιρε, σώματα δὲ παρὰ Κρονίδαν Κένταυρον ἀσθμαίνοντα κόμιζεν.*

[4]) cf. Ach. II 129 seqq.

[5]) cf. Ach. I 147—155.

[6]) I 184—194, 118, II 156 seq.; cf. I 240: *quaerunt puerilia carmina Fauni.*

deinde medicinam [1]), quarum artium ipsum peritissimum antiquitus tradi supra vidimus.[2]) Tum artibus palaestrae eum instituit[3]), cuius disciplinae etsi ante Statium vestigia non inveniuntur — nam qui primus eam expresse Chironi tribuit, Sidonius Apollinaris Statium aperte imitatur carm. IX v. 114 seqq. et 130 seqq.:

> *Non hic Maeoniae stilo Camenae*
> *civis Dulichiique Thessalique,*
> *quorum hic* (sc. Thessalus) *Peliaco putatur antro*
> *venatu, fidibus, palaestra et herbis*
> *sub Saturnigena sene institutus*

e. q. s. —, tamen eam non a Statio esse novatam inde licet concludere, quod anaglyphis quibusdam sepulcralibus[4]) meditationem *πάλης*, *σκιομαχία* quae vocetur, expressam esse primus vidit Michaelis, cuius interpretationem firmarunt Overbeckius[5]) et Robertus (l. l.); quae anaglypha etsi ipsa secundo vel tertio p. C. n. saeculo sarcophagis insculpta esse archaeologicis apparet rationibus, tamen artifices fabularum materiam, nisi exempla secuti sunt priora, e libris sumpsisse fabularibus quam e carmine Statiano multo verisimilius esse infra demonstrabimus. Itaque statuimus Statium rem e simili fonte hausisse nobis deperdito. — Denique omnia, quae ad mores Achillis formandos Chironi Statius tribuit[6]), ad Chironis quae Hesiodo

---

[1]) II 159—162.

[2]) cf. pag. 31.

[3]) II 154:

> *procul Oebalios in nubila condere discos*
> *et liquidam nodare palen et spargere caestus,*

cf. I 40, 632 seqq.

[4]) cf. Robert, Antike Sarkophagreliefs II, fig. 20 b, 21 b, 22 a, 23 b, 24 c.

[5]) Galerie heroischer Bildwerke I pag. 285 nr. 8.

[6]) cf. II 163:

> *monitusque sacrae sub pectore fixit*
> *iustitiae.*

tribuebantur praecepta referenda esse iam supra verisimile esse statuimus.[1])

Sic fere Statius Achillis apud Chironem depingit educationem. Fortasse in tota re adornanda exemplum secutus est Theocriti, qui Herculis pueri educationem simili narrat ratione idyllii XXIV vv. 103—134, nisi quod singulas disciplinas singulis tribuit magistris; unde etiam factum esse suspicari licet, ut Statius quae ad palaestram et bellum spectant, carmini insereret, ita tamen, ut res bellicas suae aetatis ad illa tempora heroica transferret; nam quod Achillem narrantem fingit:

didici, quo Paeones arma rotatu,
quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine contum
Sauromates falcemque Getes arcumque Gelonus
tenderet et flexae Balearicus actor habenae,
quae suspensa trahens libraret vulnera tortu
inclusumque suo distingueret aëra gyro [2]),

hoc duci, qui cum his gentibus bellum gerit, melius convenit Romano, quam heroi Achilli; similiter quam Chironi tribuit medicinae scientiam[3]), hanc suae aetati videtur aptavisse poeta.[4]) Accedunt quae Statio in educatione Achillis describenda obversatae videntur esse picturae nonnullae parietariae,

---

[1]) pag. 31; cf. Pindari Pyth. VI 21 seqq., ubi praecepta illa alluduntur: *τά ποτ᾽ ἐν οὔρεσι φαντὶ μεγαλοσθενεῖ Φιλύρας υἱὸν ὀρφανιζομένῳ Πηλεΐδᾳ παραινεῖν· μάλιστα μὲν Κρονίδαν βαρυόπαν στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανιν θεῶν σέβεσθαι· ταύτας δὲ μήποτε τιμᾶς ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.*

[2]) II 131 seqq.

[3]) II 159 seqq.:

quin etiam sucos atque auxiliantia morbis
gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,
quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
quae ferro cohibenda lues, quae cederet herbis,
edocuit.

[4]) Plura huius licentiae poeticae exempla composuit Miedel, De anachronismo qui est in P. Papinii Statii Thebaide et Achilleide. Progr. Passaviense 1891/92.

quales partim nobis conservatae sunt Pompeis, partim describit Philostratus maior Neapoli inspectas. Atque picturam similem ei Pompeianae, qua lepidissime Centaurus Achillem puerum amplexus citharam docens depingitur[1]), poeta illustrare videtur versibus his[2]), ubi Chiron ad Thetidem delectandam

elicit extremo chelyn et solantia curas
fila movet leviterque expertas pollice chordas
dat puero. canit ille libens e. q. s.

Et quam Philostratus describit imaginem[3]) verbis his: *ὁ δὲ ἐν τῷ πεδίῳ παῖς ὁ ἱππηδὸν ἐπὶ τοῦ Κενταύρου ἀθύρων ὁ αὐτὸς ἔτι* (sc. de quo prius egi). *διδάσκει ὁ Χείρων τὸν Ἀχιλλέα ἱππάζεσθαι καὶ κεχρῆσθαι αὐτῷ ὡς ἵππῳ καὶ ξυμμετρεῖται μὲν τὸν δρόμον εἰς τὸ ἀνεκτὸν τῷ παιδί κ. τ. λ.*, eadem fortasse est, quam Statius interpretatur versibus his[4]):

saepe ipse gradu me praepete Chiron,
dum velox aetas, campis admissus agebat
omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
laudabat gaudens atque in sua terga levabat.[5])

Iam priusquam huic parti finem imponamus, nonnulla liceat addere, quae, etsi ad Homerum revocanda esse apparet auctorem, tamen Statius primus sua arte poetica fabulae bene videtur inseruisse: 1) quod Homerus tradit Achillem unum potuisse vibrare *ἔγχος βριθὺ μέγα στιβαρόν, Πηλιάδα μελίην* [6]), Statium movit, ut fingeret Achillem parvum iam apud Chironem *patria se metientem in hasta* (I 41), nisi eum Valeri Flacci exemplo adductum esse putamus, qui Peleum dicentem facit [7]): *sub te ... magistro ... nostram festinet ad hastam;* 2) quod

---

[1]) cf. Roscheri lexicon mytholog. s. v. Achilles, Overbeck l. l. nr. 12.
[2]) Ach. I 186 seqq.
[3]) II 2, 5.
[4]) II 113 seqq., ubi Achilles narrat.
[5]) cf. Valer. Flacci I 140 de Patroclo: *discat eques placidi conscendere terga magistri* (sc. *pariter Achilli*).
[6]) *Π* 140 seqq., *Τ* 387 seqq. al.
[7]) I 266 seqq.

Achilles apud Homerum optimis praeditus narratur iugalibus[1]), noster tales ei iam in Pelio fingit nutriri[2]); 3) quod Achillem facit dicentem[3]):

quaerisne meos, Sperchie, natatus
promissasque comas?

haec verba spectant ad Homeri *Ψ* 141—144, ubi Achilles *στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην, τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν* a patre votam.[4]) Denique comam fulvam fingit Homerum secutus Ach. I 611, ubi Achilles *cinxit purpureis flaventia tempora vittis* et 162 *fulvoque nitet coma gratior auro.*[5])

---

[1]) cf. *T* 399 seqq.
[2]) cf. Ach. I 633.
[3]) I 628.
[4]) cf. Silv. III 4, 85:
huic et purpurei cedet coma saucia Nisi
et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.
[5]) qui locus mirum in modum congruit cum Philostrateo hoc (Heroici 732 K.): *τὴν μὲν δὴ κόμην ἀμφιλαφῆ αὐτῷ φησιν εἶναι καὶ χρυσοῦ ἡδίω.*

Caput III:

De Achille et Deidamia Scyriis.

His peractis ad tertiam disputationis ut veniamus partem nobis dicendum erit de Achille Scyrum in insulam a matre abducto virgineoque habitu inter Lycomedis filias morato eiusque de furtiva cum Deidamia consuetudine. — Etiam haec res celebrata fuit poetis et artificibus antiquis post Homerum qui fuerunt. Hic enim, ut Achillis apud Chironem educationem ignorat, ita ne hanc quidem *Ἀχιλλέως ἐν Σκύρῳ παρθένευσιν,* ut Luciani [1]) verbis utar, novit, sed Thetis in Iliade filium bello Troiano dolis subtrahere adeo non studet, ut eum gnara sortis imminentis Troiam proficisci patiatur.[2]) Tamen erraveris, si putes Scyri apud Homerum omnino mentionem non fieri, immo bis occurrit hoc nomen: *I* 667, ubi Iphis quaedam memoratur Patrocli concubina, quam Achilles donaverat amico *Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν Ἐνυῆος πτολίεθρον.* Sed hic neque Scyrus insula neque Lycomedes rex appellatur. Alter locus exstat *T* 326 seq., ubi Achilles meminit pueri in Scyro insula relicti verbis his: *ἠὲ τὸν ὃς Σκύρῳ μοι ἔνι τρέφεται φίλος υἱός,* [*εἴ που ἔτι ζώει γε Νεοπτόλεμος θεοειδής*] [3]); quos tamen locos recentioribus Iliadis rhapsodiis, quae sunt *πρεσβεία* et *Μήνιδος ἀπόρρησις,* insertos esse Robertus docet.[4])

Quo tempore et qua ratione fabula de Achille Scyro abdito orta sit, dubium est. Bethius quidem [5]) eam Cypriis tribuit nisus testimoniis Pausaniae (X 26, 4) et scholiastae ad *T* 326,

---

[1]) de saltatione XXXIII 46.

[2]) cf. *Σ* 58—60, *Φ* 277 seqq.

[3]) v. 327 damnarunt Aristophanes et Aristarchus.

[4]) Studien zur Ilias, Berlin 1901, pag. 551.

[5]) Thebanische Heldenlieder pag. 81 adnot. 5.

qui toti mytho exposito addit: ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς. De origine fabulae Gruppius [1]) censet eam compositam esse a poeta quodam scenico ita, ut duas fabulas coniunxerit, quarum altera ad Bacchum in insula Scyro cultum pertinuerit, altera ad Neoptolemum ab Ulixe Scyro abductum; verisimilius mihi quidem videtur esse, quod Robertus exponit [2]) hoc: „Der Mythus von Achill unter den Töchtern des Lykomedes verdankt seine Entstehung dem Lokalpatriotismus der Inselgriechen, zunächst der Skyrier, welcher sich gegen die Überlieferung von einer feindlichen Eroberung der Insel durch Achilleus, wie sie das Epos kannte, auflehnte, anderseits aber um des Neoptolemos willen den Aufenthalt des Achilleus auf Skyros beibehalten und nur anders motivieren mußte."

Quocumque tempore et quacumque ratione fabulam ortam esse putamus, constat iam Polygnotum (qui anno a. C. n. 474 Athenas venit) totam fabulam depinxisse teste Pausania, qui libr. I cap. 22, 6 tradit haec: εὖ δέ μοι φαίνεται (sc. Homerus) ποιῆσαι Σκῦρον ὑπὸ Ἀχιλλέως ἁλοῦσαν, οὐδὲν ὁμοίως καὶ ὅσοι λέγουσιν ὁμοῦ ταῖς παρθένοις Ἀχιλλέα ἔχειν ἐν Σκύρῳ δίαιταν, ἃ δὴ καὶ Πολύγνωτος ἔγραφεν. Ex hac Polygnoti pictura celeberrima omnes qui postea fabulam tractaverunt, quasi fonte videntur hausisse, praecipue tragici poetae, velut Euripides in „Scyriis" [3]); deinde res varie descripta est a poetis Alexandrinis, qui talia in deliciis habebant, quale ad nos venit Bionis fragmentum.[4]) Poetis Romanis fabula notissima: Horatius eam tangit[5]), Ovidius tragoediam

---

[1]) Griech. Mythologie pag. 667 [1].

[2]) Bild und Lied pag. 34.

[3]) T. G. F.[2] 682—686; cognominem Sophoclis tragoediam (Σκύριοι Nauck, T. G. F.[2] 496—505) ad Neoptolemum Scyro abductum spectavisse post Tyrrwhittium (ad Aristot. poetic. pag. 191) et Robertum (Bild und Lied pag. 34) nuper demonstravit Engelmann (Archäologische Studien zu den Tragikern, Berlin 1900, p. 36).

[4]) idyll. II ed. Hermann; cf. Lycophronis vers. 277 seqq.

[5]) carm. I 8, 13—16; II 5, 21 seqq.

similis argumenti Latinam alludere videtur verbis his [1]:

Nec nocet auctori mollem qui fecit Achillem
Infregisse suis fortia facta modis [2]),

idem fabulam adumbrat Metamorphos. XIII 162 seqq., festive et iocose narrat artis amator. libr. I vers. 689 seqq. Seneca fabulam significat Troad. vv. 213 seq., 350. Denique totius fabulae argumentum exponunt Apollodorus [3]), Hyginus [4]), scholium *T* 326.

His praemonitis videamus, quomodo Statius fabulam varie traditam formaverit: Thetis postquam frustra Neptunum ut classem Troianam submergeret tentavit, Chironem ipsum petit, ut filium inde dolose abductum belli fatis eripiat. Et postquam fictis timoribus et atris somniis, ad quae tollenda Proteus puerum extremo in Oceano [5]) magico ritu lustrari iussisset, Chironi ut Achillem sibi traderet persuasit, per totam noctem quas in terras puerum abderet tutissimum meditatae deae Scyrus insula oportunissima visa est, quo statim puerum dormientem delphinis biiugis transportandum curat. Quo peracto mater filio exstupefacto novitate locorum nec opinanti, quid paretur, persuadere studet, invitum orat et obsecrat, ut parumper virgineis vestibus indutus fata bello imminentia effugiat. Sed recusantem et minantem frustra temptat mater:

obstat genitorque roganti
nutritorque ingens et cruda exordia magnae
indolis. [6])

---

[1]) trist. II 409 seq.

[2]) cf. Fleischer in Roscheri lexic. mythol. I pag. 28.

[3]) bibl. III 174 seqq.

[4]) fab. 96.

[5]) Simili dolo utitur Iuno apud Homerum *Ξ* 200 seqq., ut Veneris zonam, qua Iovem capiat, adipiscatur, cum dicat se visuram ire *πολυφόρβου πείρατα γαίης, Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν,* ad lites inter coniuges exortas dirimendas.

[6]) I 275 seqq.

His in angustiis versanti Thetidi peropportune accidit, quod illo die *Palladi litoreae*[1]) festum agunt filiae Lycomedis, quarum longe pulcherrimam ubi primum conspexit Deidamiam Achilles tanto ardore incenditur visae, ut facile dolis matris obsecutus in virginem a matre se mutari patiatur, dum modo Deidamiae consuetudine usurus sit.

Quo facto mater filium virginis habitu bene occultatum Lycomedi tradit pro puella inter ipsius filias feminarum ritu educandum, commenta eam esse germanam Achillis.[2]) Nil suspicatus Lycomedes simulatam accipit virginem et suis aggregat puellis, quae primo velut aves advenam timide mirantes fugiunt, mox vero propius accedunt et omni timore posito sodalem sibi adiungunt. Quo eventu laetissima Thetis filium postquam iterum iterumque monuit, ne dolos bene institutos aperiret, solum relinquit in Scyro et ad Nereidas abnatat sorores silentium postquam imposuit insulae et gloriam promisit aeternam.

Matre digressa Achilles omni statim pudore posito Deidamiam sectatur amatam ceteris neglectis plane sororibus. Quae etsi statim perspexit Thetidis dolum neque ignorat Achillem iuvenem germanae specie occultari, tamen rem celat.[3]) Lepide poeta amorem Achillis et Deidamiae subito exortum et in dies crescentem depingit versibus 564—587, ut Achilles Deidamiam sectetur oculis et pedibus et Deidamia omnia patiatur non

---

[1]) I 285.

[2]) Achilli revera sororem fuisse P o l y d o r a m Sperchio fluvio nuptam tradit Homerus *II* 175, cf. Strabon. lib. IX cap. 5 § 9.

[3]) cf. I 562 seqq.:

opertae conscia culpae
cuncta pavet tacitasque putat sentire sorores.

et ibidem 583—87:

vocisque sonum pondusque tenentis,
quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
figat et in verbis intempestivus anhelet,
m i r a t u r: iam iamque dolos aperire parantem
virginea levitate fugit prohibetque fateri.

invita. Altera alterius indulget amori, altera libenter discit ab altera quas noverunt artes. Velut Achilles Deidamiae

fila lyrae tenuesque modos et carmina monstrat
Chironis ducitque manum digitosque sonanti
infringit citharae, nunc occupat ora canentis
et ligat amplexus et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion et quis
Aeacides puerique auditum nomen et actus
adsidue stupet et praesentem cantat Achillem.
Ipsa quoque et validos proferre modestius artus
et tenuare rudes attrito pollice lanas
demonstrat (sc. Achilli) *reficitque colos et perfida durat*
pensa manu.[1])

Qua in re describenda Statius fortasse ante oculos habuit Bionis carmen supra laudatum, quod mutilatum nobis servatum esse dolemus [2]), et Ovidi art. amator. l. I versus 691 - 706 (quos conferas quaeso), quibuscum eo consentit, quod Achilli Herculis apud Omphalen tribuit partes (cuius fabulae eum memorem fuisse apparet collatis Ach. vers. I 583, 260 seqq. et Properti III 11, 20 Lachmann). a quibus tamen discedit ea re, quod Achillem non solum a Deidamia lanam tractare

---

[1]) Ach. I 573—583. Statium imitatur Claudianus (Epithal. de nuptiis Honorii v. 16 seqq.):

Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem,
Fraudis adhuc expers bellatricesque docebat
Ducere fila manus et mox quos horruit Ida
Thessalicos roseo pectebat pollice crines.

[2]) cf. vers. 15 seqq. hos: *λάνθανε δ'ἐν κώραις Λυκομηδίσι μοῦνος Ἀχιλλεύς. εἴρια δ'ἀνθ' ὅπλων ἐδιδάσκετο καὶ χερὶ λευκᾷ παρθενικὰν κροκ' ἀνεῖχεν· ἐφαίνετο δ'ἠΰτε κώρα. καὶ γὰρ ἴσον τήναις θηλύνετο, καὶ τόσον ἄνθος χιονέαις πόρφυρε παρηΐσι καὶ τὸ βάδισμα παρθενικᾶς ἐβάδιζε, κόμας δ'ἐπύκαζε καλύπτρᾳ. θυμὸν δ'ἀνέρος εἶχε καὶ ἀνέρος εἶχεν ἔρωτα. ἐξ ἀοῦς δ'επὶ νύκτα παρίζετο Δηιδαμείᾳ, καί ποτε μὲν τήνας ἐφίλει χέρα, πολλάκι δ'αὐτᾶς στάμονα καλὸν ἄειρε καὶ ἁδέα δείκαν' ἐπῄνει ἡσθεὶς οὐκ ἄλλᾳ συνομάλικι κ. τ. λ.*

quaeque alia huc pertinent feminis digna discentem[1]), sed etiam ipsam Deidamiam lyram canere docentem fingit, quae res Stati propria illustratur anaglyphis duobus in iisdem quos supra laudavimus sarcophagis incisis, quae Robertus verbis interpretatur his: „fig. 20 a. Achilleus solutis crinibus ambiguoque vultu in gegürtetem Peplos, zu dem der muskulöse Arm einen beabsichtigten Kontrast bildet, sitzt auf einem Stuhl, die Füße auf einen Schemel stützend, und spielt auf einer großen Phorminx. Vor ihm und hinter ihm je eine Lykomedestochter, ziemlich gleich gekleidet, die eine das rechte Bein über das linke schlagend, die Linke in die Seite gestützt, faßt mit der Rechten das eine Horn der Phorminx, die andere legt die Hand auf den Rücken Achills. Dieselbe Szene in etwas anderer Gruppierung stellt dar die Schmalseite von Fig. 22 b. Achilleus sitzt hier in Vorderansicht, in der Linken die sehr zerstörte Phorminx, in der Rechten das Plektron. Neben ihm sitzt sich an ihn schmiegend und die Linke auf seine Schulter legend hier unverkennbar Deidamia, die rechte Hand ruht müßig. Rechts sitzt eine zweite Lykomedestochter, die linke Hand in den Schoß gelegt, den rechten Ellenbogen auf das Knie gestützt, lauscht sie in etwas vorgebeugter Haltung dem Spiel des Achilleus.“ Res etsi non plane respondet descriptioni Statianae — nam Achilles non Deidamiam solam docens, sed inter Lycomedis filias lyra canens pingitur —, tamen tantam praebet similitudinem, ut artifices et poetam ex eodem vel similibus fontibus hausisse verisimile sit. Nam quam parum probabile sit illos e Statio pendere paulo infra demonstrabimus, quamquam negari non potest facillime talia potuisse fingere suo ingenio poetam ab Achille minime aliena, quippe qui iam apud Homerum[2]) lyrae peritissimus curas plectro fugasse narretur, unde profectus poeta ut in Pelio monte eum Chirone magistro lyra canentem inducit, ita etiam in Scyro hanc artem eum exercentem fingere poterat. — Haec hactenus.

[1]) cf. praeter versus laudatos I 634 seqq., 653 seqq., 950 seqq.

[2]) *I* 186 seqq.

Iam videamus, quae S t a t i u s tradat de dolo Thetidis detecto[1]: Deidamia, quamquam Achillem virgineo habitu occultum perspexit primo obtutu, tamen furta dulcia aperire non ausa impetus iuvenis amore ardentis patitur et

iam iamque dolos aperire parantem
virginea levitate fugit prohibetque fateri[2]),

donec ipsa vi oppressa virum experta est, quam rem Statius bene describit hac fere inventione: Scyriades et matres et puellae dum trieterica Bacchica agunt in luco sublimi et orgiis defessae somno victae iacent, Achilles hac opportunitate rerum usus

et densa noctis gavisus in umbra
tempestiva suis torpere silentia furtis
v i p o t i t u r v o t i s[3]) *et toto pectore veros*
admovet amplexus: vidit chorus omnis ab alto
astrorum et tenerae rubuerunt cornua Lunae.[4])

Deidamia vi oppressa etsi clamorem tollit, tamen, quod voce signum orgia continuandi dedisse choro videtur, neglegitur et orgia intermissa repetuntur, postquam Achilles perterritam amicis verbis solatus est et originem suam ostendit; illa et poenarum timore commota et conscia ipsa culpae, quod amorem tam diu deceperat, *commune nefas* patrem et sorores celare constituit. Una tantum stupri conscia fit nutrix, quae precibus victa et Achillis et Deidamiae ne secretum proderet, adnuit. Deidamia vero

astu tacito raptumque pudorem
surgentemque uterum atque aegros in pondere menses
occuluit

(I 670 seqq.), donec in lucem editus est P y r r h u s.[5])

---

[1]) cf. Ach. I 592—674.

[2]) I 586 seqq.

[3]) *Vi potitur* = Verg. Aen. III 56; *potitur votis* = Ovid. Metamorph. XI 265: *Et potitur votis.*

[4]) I 640 seqq.

[5]) cf. II 24; idem nomen occurrit apud O v i d i u m [Metamorph. XIII 155 *est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi,* sc. Achilli], cf. Pausan. X 26, 4.

Haec de Achillis et Deidamiae amore furtivo. Relinquitur, ut fabulam a Statio ratione supra descripta formatam comparemus cum iis, quae de hac re tradunt Apollodorus, Hyginus, scholiasta ad *T* 326.

Atque Apollodorus quidem et Hyginus lineamenta eadem fere tradunt fabulae quae Statius, nisi quod alter dicit Achillem novennem a matre virginea veste indutum Lycomedi mandatum esse, quod neque rerum neque temporum rationibus satis convenit, quare Statius rem ita formavit, ut Thetidem statim post Helenam raptam Protei vaticinio adductam puerum minime duodecim annos natum [1]) a Chirone in Scyrum insulam transportare ibique dum ille moratur et Deidamiae fruitur amore Graecos bellum parare Aulidemque convenire fingeret, qua ratione adhibita veri speciem propius accedit et Achillis cum Deidamia consuetudo et quod dolis detectis statim iuvenis ad bellum proficiscitur. Alter, Hyginus, temporum ratione praetermissa fabulae ceterum similiter traditae nomen Achilli virgini Pyrrham fuisse superaddit. Hoc Statius praetermisit, quamquam etiam de hac re magnam quaestionem fuisse inter grammaticos Tiberio auctore Suetonius testatur [2]) et Achillem nomine mutato inter virgines appellatum esse manifestum est. Itaque Statium quoque de tali nomine cogitasse conicere licet, quia et Neoptolemo Pyrrhi nomen tribuit cum Hygino [3]), et Sidonius Apollinaris, quem Stati vestigia pressisse iam supra vidimus (cf. pag. 33 [3]), carminis IX versu 141 Achillem Pyrrhae falsum nomen pertulisse tradit.

Ut in viam redeamus, consentiunt Apollodorus, Hyginus, Statius ea re, quod tradunt Thetidem, ut filium bello subtraheret, quo periturum eum esse non ignorabat, virginis habitu occultum Lycomedi doli plane ignaro commisisse. Ab hac

---

[1]) cf. II 110.

[2]) vit. Tiberii cap. 70 ed. Roth.

[3]) cf. fab. 97: *Neoptolemus hic idem Pyrrhus est appellatus a matre Pyrrha.*

fabulae specie magnopere discedit ea, quam adnotat scholiasta ad Iliadis *T* 326[1]) primum eo, quod Peleus puerum fati eius gnarus in Scyrum profectus Lycomedi mandat, deinde quod Lycomedes puerum non nescius eius generis feminea veste indutum virginibus inmittit. Qua ratione exspectatio valde minuitur; nam Lycomedes, si conscius adulescentem puellis aggregarit, stupro Deidamiae audito, quod talia eventura esse iam pridem potuerat providere, tantopere non mirabitur, quantopere apud Statium stupefactum et iratum eum videbimus concubitu aperto Deidamiae et simulatae virginis, quam veram esse putaverat. Secundum scholiastam Lycomedes conscius Peleum adiuvat in Achille bello surripiendo, nil de Thetide eiusque dolis. Quanto venustius et acutius Statius rem depingit! Quam copiose et ornate lineamenta fabulae tradita sua arte fingendi auxit et illustravit! Nam primum quidem quod Achillem a Thetide Chironi credulo seni quasi furto subductum et delphinorum iugo in Scyrum ablatum fingit, ipsius ingenio est tribuendum. Deinde, quod Thetis puerum trucem et pertinacem consilio suo conciliare frustra studet nec prius eum, ut *foeda* subeat *tegmina,* movet, quam Deidamiae conspectae amore incensus est, quam ad rem efficiendam festum fingitur Minervae actum litoreae, hoc quoque Stati proprium est, nec minus orgia Bacchica, quibus ardor Achillis diu retentus expleatur, denique, quod Deidamia culpae conscia stupri consciam facit neminem nisi nutricem, hoc quoque, etsi res apud poetas

---

[1]) Locum exscribo: *ἡ δὲ ἑτέρα ἱστορία ἔχει οὕτως. Ἀλεξάνδρου Ἑλένην ἁρπάσαντος Ἀγαμέμνων καὶ Μενέλαος τοὺς Ἕλληνας κατὰ τῶν Τρώων ἐστρατολόγησαν. Πηλεὺς δὲ προγινώσκων ὅτι μοιρίδιον ἦν ἐν Τροίᾳ θανεῖν Ἀχιλλέα παραγενόμενος εἰς Σκῦρον πρὸς Λυκομήδην τὸν βασιλέα παρέθετο τὸν Ἀχιλλέα. ὁ δὲ γυναικείαν ἐσθῆτα ἀμφιάσας ὡς κόρην ἀνέτρεφε μετὰ τῶν θυγατέρων.* Sequitur, quo modo Achilles ab Ulixe detectus sit et ad Troiam profectus. Pergit deinde: *πρότερον δὲ ταῖς παρθένοις συνδιατρίβων ἔφθειρε Δηιδαμίαν τὴν Λυκομήδους, ἥτις ἐξ αὐτοῦ ἐγέννησε Πύρρον τὸν ὕστερον Νεοπτόλεμον κληθέντα, ὅστις τοῖς Ἕλλησι νέος ὢν συνεστρατεύσατο μετὰ θάνατον τοῦ πατρός. ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς.*

usitatissima, nostrae tamen fabulae primus videtur inseruisse Statius, nisi forte Euripides in „Scyriis“ vel Bion tales nutrici iam tribuerant partes. Dicit enim Bion vers. 30 seqq.: *ἁ δὲ πονηρὰ Νύσσα γραῦς δολία με κακῶς ἀπὸ σεῖο μερίσδει.*[1]) Unde apparet nutricem quoque re cognita Achillem Deidamia prohibere studuisse. Quocum bene congruit, quod Statius tradit eam non nisi precibus victam Achillis et Deidamiae furto adnuisse celando. De nutrice igitur dubites, num Statius eam novaverit, de festis res minus dubia. Nam haec in Scyro acta esse praeter Statium nemo tradit nisi Sidonius Apollinaris imitator.[2])

Ut de festis pauca addamus, quibus Achillis ardor incensus et expletus narratur, de Minerva quae vocatur litorea a Scyriis culta nil eruere potui praeter ea, quae Statius tradit. Statua erat Palladis super litore exstructa[3]), quam Scyriades patriae urbis muris egressae, quae rara licentia erat[4]), verno tempore floribus ornare et choris venerari solebant[5]), quales choros Thetis audisse dicitur, cum a Iove missa erat, Aegaeonem ut sequeretur (I 209) *duros laxantem nexus,* qui locus videtur spectare ad Homeri Iliad. *Α* 396—406, ubi Thetis Iovi a reliquis dis Olympiis oppresso Aegaeonem sive Briareum auxilio arcessivisse narratur.

Orgia trieterica saepius memorantur in Thebaide[6]), unde suspicari licet poetam orgia Bacchi Agenorei (Ach. I 593) Thebis, ubi innata erant, in Scyrum transtulisse insulam,

---

[1]) ex recensione Hermanni, qui *γραῦς* emendavit pro *γάρ*.

[2]) carm. IX 140 seqq.:

inde Scyriadum datus parenti
falsae nomina pertulisse Pyrrhae
atque inter tetricae choros Minervae
occultos Veneri rotasse thyrsos.

[3]) cf. I 696 seq.

[4]) I 286.

[5]) I 288 seqq.

[6]) cf. II 661 seqq., IX 478 seqq., II 77, IV 667, V 730, VIII 221 seq., IX 795, XII 787.

nisi re vera Bacchum ibi cultum esse putamus. In sacris ipsis describendis imitatus videtur esse Euripidis Bacchas [1]), conferri possunt etiam Catulli carminis 64 versus 255 seqq., ubi Bacchae describuntur:

Harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
Pars e divolso iactabant membra iuvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis, ...
Plangebant aliae proceris tympana palmis
Aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant e. q. s.,

orgia trieterica tangit etiam Vergilius.[2])

Utrumque festum in Aetolia a feminis verno tempore celebratum esse memorat Seneca, qui in Hercule Oetaeo chorum aequalium Deianirae sortem reginae querentem inducit his [3]): *Flemus casus, Oenei, tuos comitum primos turba per annos, flemus dubios veneranda toros, nos (tecum solitae) Palladias ire per aras et virgineos celebrare choros, nos Cadmeis orgia ferre tecum solitae condita cistis, cum iam pulso sidere brumae tertia soles evocat aestas* e. q. s. Isdem fere verbis Statius sacra componit versibus his [4]): *occurrit genitor* (sc. Ulixi pulchritudinem filiarum miranti):

quid si aut Bacchea ferentes
orgia, Palladias aut circum videris aras?

etsi hoc loco non orgia spectat trieterica, sed ludos vel spectacula Bacchica; adde (ad versum Ach. I 593 *et virgineos celebrare choros* illustrandum) Ach. I 208: *virgineos coetus* et

ibid. 319: *hasne inter simulare choros et bracchia ludo*
nectere, nate, grave est?

---

[1]) cf. v. 79 seqq., 680 seqq.

[2]) Aen. IV 301 seqq.:

Bacchatur qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

[3]) vers. 583 seqq.

[4]) Ach. I 812 seqq.

et 370: *dein sociare choros* (sc. Achillem puellae iubent), quibus versibus collatis apparet Statio obversatos esse Senecae versus supra laudatos, cuius vestigia eum saepius secutum esse exemplis probavit Peiper[1]), velut Senecae Oedip. 477 *lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet* conferatur cum Ach. I 307 seq.: *lactea Massagetae veluti cum pocula fuscant sanguine.* Quibus consideratis licet suspicari Statium, ut omnino sacra illa spectacula ad fabulae traditae partes causis idoneis inter se conectendas carmini insereret, Senecae exemplo adductum esse.

[1]) praefat. in Senecae tragoedias supplementi pag. 5, Breslau 1870.

Caput IV:

De Achille Ulixis dolo detecto.

Ultima disputationis parte agere nobis proposuimus de Achille Ulixis dolis detecto et quae hunc totius fragmenti quasi cardinem et praecedunt et sequuntur. Atque primum quidem carminis argumentum, quatenus huc spectat, paucis adumbrabimus, deinde qua ratione poeta fabulas traditas in usum suum converterit quaeque novavisse videatur accuratius exponemus.

Itaque ut pergamus unde constitimus in argumento referendo, dum Achilles virginis habitu in Scyro insula versatur et Deidamiae consuetudine fruitur furtiva, Graeci omnes ab Atridis exciti bellum parant et Aulidem conveniunt. Anni fere spatio peracto postquam copiae coactae sunt et Agamemno totius exercitus capessivit imperium, omnes desiderant et flagitant Achillem absentem, cuius sine auxilio Troiam nullo modo expugnari posse dicunt. Atque dum praesente toto exercitu duces de proficiscendi consultant tempore, Protesilaus bellandi cupidissimus Calchantem vatem magno clamore cogit et conviciis obrutum impellit, ut ubi Achilles moretur, vaticinio prodat. Qui dei insania et furore occupatus totum Thetidis dolum mentis quasi oculis ordine secutus exercitui aperit. Quo facto Diomedes statim et Ulixes naves solvunt, ut Achillem e Scyro ad exercitum abducant. Itinere propter Cycladas insulas Aegaeo mari inspersas saepe flexo Scyrum appellunt bonis auspiciis Apollinis, cui Delum praetervecti libaverunt, confirmati et servati. E nave egressi Minervae numen adorant in litore positae et comitibus relictis statim arcem petunt taciti, ne regem terreant placidissimum, nescii eum iam certiorem

factum esse de ipsorum adventu per Abantem litoris custodem.[1]) Atque dum spatium inter litus et urbem interiectum permetiuntur satis magnum, Ulixes Diomedi miranti, quemnam in usum mercatus sit in itinere res tam varias feminis idoneas, aperit, qua ratione Achillem inter virgines occultatum detecturus sit ipsumque quas partes acturus sit instituit. Quae dum inter se communicant, urbi adpropinquaverunt et Ulixes regem ante arcem conspectum salutat olivae ramo pacem professus. Idem postquam Lycomedem de bello inter Graecos et Troianos exorto certiorem fecit, se et Diomedem speculatores missos esse simulat, qui res Troianas explorarent. Qua re deceptus credulus ille et placidissimus rex laetitia affectus statim Graecos hospitio exceptos arcem intrare iubet. Et dum cena paratur, Ulixes totam regiam perlustrat cupidus Achillis cognoscendi, qui et ipse in gynaeceo inclusus rumore audito Graecos viros videre cupit. Interea cena parata rex hospites accumbere iubet et signo dato puellae earumque comites *pudicae* e gynaeceo progressae mensis accumbunt. Achilles iam tum ab Ulixe statim perspicitur impetu quodam et ferocitate insignis virili, quam Deidamia vix potest domare. Qui animi affectus et ardor bellicus cena peracta ipsius Lycomedis verbis incitatur et Ulixis sermone adeo augetur, ut Achilles iam tum se prodidisset, nisi Deidamia signo abeundi dato recusantem secum abduxisset. Ulixi, qui formam et pulchritudinem abeuntium puellarum miratur, Lycomedes pater his blandis laudibus elatus promittit se filias postero die speciosissimo cultu ostentaturum esse Bacchi sacra celebrantes, quae res, quod Graecorum votis valde respondet, statim accipitur. Quo facto Diomedem dolum paraturum ad naves rediisse verisimile est, etsi poeta expresse non dicit[2]), Ulixes in arce moratus noctem agit exspectatione

[1]) I 701 seq. *arcis litoreae servator Abas*; cf. Theb. II 220 eodem versus loco *bellator Abas*.

[2]) nam cum Barthio (ad P. Papinii Statii Achilleidos libros II animadversiones. Editionis tom. III, Cygn. 1664, ad v. 732) putare Diomedem statim dolo composito vel rege salutato ad navem revertisse

et curis ita impletus, ut vix somnum capere posset, dum reliqua domus alta iacet obruta quiete.

Postero die mane Diomedes cum Agyrte tibicine a nave reversus dona media arcis in aula disponit, dum puellae Bacchicos agunt choros, quibus Achilles simili modo repugnat et reluctatur atque quondam Pentheus Thebanus. Sacris absolutis puellae in arcem redeunt et a Diomede dona eligere iussae, et praemia oblata laboris et signa hospitii, statim indoli et naturae obsecutae organa Bacchica rapiunt et ornamenta feminis apta armis neglectis, quibus Achilles mox proditur. Hic enim, ubi clipeum conspexit Ulixis hastae adclinatum [1]), ardore bellandi affectus

infremuit torsitque genas et fronte relicta
surrexere comae.[2])

Ut vero propius accessit et turpi veste occultum se conspexit ipsius imagine metalli politura reddita, *horruit erubuitque simul.*[3]) Tum Ulixes pudore impletum iuvenem summissa voce hortatur, ne diutius moretur et Thetidis curas aspernatus Troiam cum Graecis petat. *Iam pectus amictu laxabat*[4]), cum Agyrtes lituo classicum canit, quo perterritae puellae donis missis ad patrem confugiunt, at *illius intactae cecidere a pectore vestes* et armis arreptis

ceu protinus Hectora poscens
stat medius trepidante domo[5]),

plane oblitus et materni doli et amatae Deidamiae, quae timore et dolore affecta propter furtum detectum et poenam inde

---

nos vetat, quod poeta in sequentibus aperte eius mentionem facit, cf. v. 732, 735, 766, 815. Quamquam in his aliquam poetae coniventiam inesse negari non potest, nam Diomedes inde a versu 725 usque ad v. 819 adeo neglegitur, ut nescio quo modo eum potius absentem fingamus.

[1]) cf. Ach. I 723 seq.

[2]) Ach. I 855.

[3]) ib. 866.

[4]) ib. 874.

[5]) ib. 883 seq.

exorituram amens sola aufugerat; cuius gemitu et lamentatione Achillis ardor mollitur et armis demissis Lycomedem adfatus attonitum omnia fatetur et Deidamiam coniugem petit Pyrrho monstrato. Lycomedes valde iratus ob tantam iniuriam filiae allatam et memor promissi olim Thetidi dati, etsi primum haeret et supplicium minatur, tamen precibus Ulixis commotus et fatis obsistere veritus Achillem Troiam proficisci et Deidamiam coniugem ducere patitur. Quo facto Peleus certior factus naves et copias mittere iubetur, Lycomedes ipse duas naves adiungere paratus est, et nocte peracta postridie Achilles cum Ulixe et Diomede ad exercitum proficiscitur Deidamia cum Pyrrho in Scyro insula relicta.

Haec quidem Statius. Iam nostrum est in singularia inquirere ita, ut rerum ordinem secuti statuamus et quae ad certos fontes possint reduci et quae similia inveniantur apud poetas et rerum scriptores, quorum exempla sibi proposuisse imitanda Statium verisimile est, et quae suo ingenio et arte fingendi novasse videatur poeta.

Ac primum quidem de bello a Graecis parato ut paucis exponamus, Statius in gentibus et pagis enumerandis non id egit, ut catalogum nobis proponeret Homerico similem, sed rem ita instituit, ut arma quasi ante oculos parari videamus, equites et pedites cogi, naves aedificari, totam Graeciam in variis belli apparatibus certatim occupatam praeter unam Thessaliam. Atque in locis eligendis eam rationem secutus esse videtur poeta, ut notissimos aliqua re pagos praeferret iisque eas res potissimum tribueret parandas, quibus quisque maxime celebratus fuit, velut I 413 *aera domat Temese*, cuius urbis metalla nota erant. [1]) Similiter *Pisa novat currus* propter ludos Olympicos, *Nemee dat terga ferarum*, ubi Hercules leonem venatus est, *Cirrha sagittiferas certat stipare pharetras*, nimirum quia Apollini sacra erat *arcitenenti;* 419 *Argos agit*

---

[1]) cf. Silv. I 5, 7; Homeri α 184; Ovid. Metam. VII 207, XV 707; fastor. V 441.

turmas[1]); *frenat celeres Epiros alumnos.*[2]) Notae erant ex Homeri catalogo: Mycenae (*B* 569), Euboea (*B* 536), Aetolia (*B* 638), Arcadia (*B* 603), Phocis (*B* 517), Pylos (*B* 591). Praeterea armorum genera suae aetatis ad illa heroica transfert tempora, vers. 422, 429 seqq., cuius usus exempla composuit Miedel.[3]) Universa belli parati descriptio ad magnam similitudinem accedit eius, quae legitur Thebaid. III 580 seqq., quos versus cum Achilleidos I 423 seqq. sub uno liceat ponere conspectu. Conferas:

Thebaidos III 580 seqq.	Achilleidos I 423 seqq.
Arma paternis *postibus et fixos superum ad penetralia currus* *vellere amor. tunc fessa putri robigine pila* *haerentesque situ gladios in saeva recurant* *vulnera et attrito cogunt iuvenescere saxo.* *Hi teretes galeas magnorumque aerea suta* *thoracum et tunicas chalybum squalore crepantes* *pectoribus temptare, alii Cortynia lentant* *cornua; iam falces avidis et aratra caminis* *rastraque et incurvi saevum rubuere ligones.*	*Velluntur postibus altis* *arma olim dimissa patrum flammisque liquescunt* *dona deum: ereptum superis Mars efferat aurum.* *tenuant umentia saxa* *attritu et pigris addunt mucronibus iras.* 431 *(ferrum lassatur) ... quod mille catenis* *squalentis nectat tunicas ...* *nec modus aut arcus lentare aut fundere glandes* *aut torrere sudes galeasque atollere conis.*

[1]) cf. Iliad. *B* 285 ἱππόβοτον Ἄργος.
[2]) cf. Verg. Georg. I 59: *Eliadum palmas Epirus equarum* sc. mittit.
[3]) l. l. pag. 27—40.

Quibus cum versibus si comparaveris Vergili Aeneidos libri VII 624—640 quos subiungo, hos:

626 *pars levis clipeos et spicula lucida tergent*
arvina pingui subiguntque in cote secures.
632 *tegmina tuta cavant capitum flectuntque salignas*
umbonum crates; alii thoracas aënos
aut levis ocreas lento ducunt argento.
635 *vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri*
cessit amor, recoquunt patrios fornacibus enses,

concedes in utroque loco pangendo Vergili vestigia pressisse Statium. Adde Aen. VII 629 seq.

quinque adeo magnae positis incudibus urbes
tela novant

et Ach. I 419 *innumera resonant incude Mycenae.* — Cum versibus 436 seq. si contuleris Hirti Belli Africani cap. 20 (*Caesar interim officinas ferrarias instruere, sagittas telaque uti fierent complura curare, glandes fundere, sudes comparare*), cognosces, quanto opere ad ipsius aetatem Statius aptaverit belli Troiani parandi rationes.

Bello parato Graecos Aulidem convenisse ibique moratos esse notissima res ex Homero et poetis tragicis, a quibus tamen Statius eo discedit, quod moram factam esse fingit annuam belli paratibus, et ea re, quod Achillem exspectare coacti sint Graeci, Iphigeniae fabulae ratione non habita, nisi eius in carmine continuando mentionem facturus erat post Achillis adventum.

Reges qui nominantur Graecorum, quamquam omnes Agamemnone excepto numerantur apud Apollodorum [1]) in catalogo eorum, qui Helenam petiverunt, tamen poetam eos Homeri memorem elegisse verisimilius est. Primum enim Diomedem et Sthenelum iungit [2]) simili modo ac I 48, ubi Diomedes dicit: *νῶι δ', ἐγὼ Σθένελός τε, μαχεσσόμεϑ' εἰς*

---

[1]) bibl. III 129 seqq.
[2]) I 469.

ὅ κε τέκμωρ Ἰλίου εὕρωμεν; deinde quod dicit: *nec cogitet annos Antilochos*[1]), hos Homeri versus alludere videtur: *Ἀντίλοχον δ'ὤτρυνε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος· Ἀντίλοχ', οὔ τις σεῖο νεώτερος ἄλλος Ἀχαιῶν κ.τ.λ.*[2]); denique, dum describit Aiacem his verbis[3]):

septemque Aiax umbone coruscet
armenti reges atque aequum moenibus orbem,

ei obversantur Homeri versus hi[4]): *Αἴας δ'ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠύτε πύργον, χάλκεον ἑπταβόειον ... ταύρων ζατρεφέων.*

Quibus ducibus non contenti Graeci Achillem poscunt, quem *unum Teucris loquuntur fatalem*[5]) propter originem et educationem eius singularem[6]), non ex Calchantis vaticinio, quale tradit Apollodorus.[7]) Statius Calchanti unum tribuit vaticinium id, quo Protesilao auctore Calchas, ubi Achilles occultus sit, prodit. In re ipsa describenda ei Vergili Aeneidos l. II vers. 122 seqq., ubi Ulixes

vatem magno Calchanta tumultu
protrahit in medios,

ut dicat, quem Phoebus immolandum poscat, obversatos esse e verborum apparet consensu, unde tamen Protesilaum Ulixis munere functum esse finxerit, pro certo dici non potest. Licet suspicari tale quid exstitisse in tragoediis ad Protesilai fabulam pertinentibus, sed verisimilius mihi quidem videtur poetam nominis interpretatione adductum Protesilao illas partes tribuisse.[8])

---

[1]) v. 469 seq.

[2]) *O* 568 seqq.

[3]) 470 seq.

[4]) *H* 219 seqq.

[5]) I 475.

[6]) cf. I 476—481.

[7]) bibl. III 174: *ὡς δὲ ἐγένετο ἐνναετὴς Ἀχιλλεύς, Κάλχαντος λέγοντος οὐ δύνασθαι χωρὶς αὐτοῦ Τροίαν αἱρεθῆναι κ. τ. λ.*

[8]) *namque huic bellare cupido*
praecipua et primae iam tunc data gloria mortis v. 495 seqq.

Copiosius poeta insaniam et furorem vatis a deo occupati describit verss. 514—536, simili ratione, qua Thebaidos libr. X vers. 589 seqq. Tiresiam inducit vaticinantem, exemplum secutus Vergili[1]) et qui post eum talia depinxerunt, Senecae[2]), Lucani[3]), Valer. Flacci[4]), e quibus Senecae versus ut simillimos iuvat conferre hos: *Silet repente Phoebas et pallor genas*[5]) *creberque totum possidet corpus tremor. stetere vittae, mollis horrescit coma*[6]), *anhela corda murmure incluso fremunt, incerta nutant lumina et versi retro torquentur oculi*[7]), *rursus inmoti rigent. nunc levat in auras altior solito caput graditurque celsa, nunc reluctantes parat reserare fauces, verba nunc clauso male custodit ore maenas impatiens dei* ..... 726 *ubi sum? fugit lux alma et obscurat genas nox alta*[8]) *et aether abditus tenebris latet. Sed ecce cerno* ..... 775 *Iam pervagatus ipse se fregit furor caditque*[9]) *flexo qualis ante aras genu cervice taurus vulnus incertum gerens.* De variis divinandi rationibus a Calchante initis versibus 518—522 conferri possunt quae similia dicit Valerius Flaccus[10]) de Idmone,

> *cui genitor tribuit monitu praenoscere divum*
> *omina, seu flammas*[11]) *seu lubrica comminus exta*
> *seu plenum certis interroget aethera pinnis.*[12])

---

[1]) Aen. VI 46 seqq.

[2]) Agamemn. v. 710 seqq.

[3]) V 128 seqq.

[4]) I 205—239.

[5]) cf. Ach. I 515.

[6]) cf. Ach. I 522 seq.

[7]) cf. ib. 514.

[8]) cf. ibid. 517 seq.

[9]) cf. ibid. 536 seq.

[10]) I 231 seqq.

[11]) cf. Ach. I 520:

> *turiferas modo consulit anxius aras*
> *flammarumque apicem rapit*

e. q. s. (*πυρομαντεία*).

[12]) cf. Ach. I 519.

Iam de legatis ex Calchantis vaticinio ad Achillem arcessendum missis ut pauca exponamus, Statius cum Ovidio[1]), Apollodoro[2]), Hygino[3]) consentit ea re, quod legatos statim in Scyrum missos fingit (non, ut schol. *T* 326 legitur, primo ad Peleum, inde ad Lycomedem), quamquam ex illis neque unde profecti sint legati, Aulide an Troia, neque qua ratione Achillem Scyro occultum esse exploraverint, satis apparet. Verisimile tamen est eos res a Statio copiose enarratas pro compendiorum ratione contraxisse tantum vel praetermisisse, non variasse. Hoc etsi sumere licet, tamen et ab Ovidio et a fabularis historiae scriptoribus Statius discrepat in legatis eligendis Ulixe et Diomede, cum Ovidius Ulixi adiungat Aiacem, schol. *T* 326 Phoenicem et Nestorem, Apollodorus et Hyginus Ulixem solum, ut qui dolum paraverit, nominent ceteris consulto praetermissis, unde licet concludere in communi eorum fonte plures numeratos fuisse oratores. — Cum Statio congruit Philostratus minor in imagine describenda prima, ubi verba facit haec: *λόγου γὰρ ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐμπεσόντος τοῦ τῆς Θέτιδος ἀπορρήτου στέλλεται Διομήδης ξὺν Ὀδυσσεῖ ἐπὶ τὴν Σκῦρον διελέγξοντες ὅπῃ ταῦτα ἔχει κ. τ. λ.* Idem legati occurrunt depicti in picturis quibusdam parietariis[4]) nobis servatis et in anaglyphis sepulcralibus iam supra laudatis.[5]) Unde efficitur fabulam de Ulixe et Diomede missis, etsi praeter Statium nusquam legitur tradita, tamen non ab eo novatam esse, sed e fonte haustam vetustiore nobis deperdito simili iis, e quibus hauserunt artifices, de qua re infra disputabimus. Statius ut hanc fabulae speciem picturis nobis servatam reliquis praeferret et in usum suum converteret, fortasse eo adductus est, quod in tota re exornanda Homeri exemplum sibi proposuerat imitandum, qui

---

[1]) Metam. XIII 162 seq.

[2]) III 174.

[3]) fab. 96.

[4]) cf. Helbig, Wandgem. nr. 1297.

[5]) Robert, l. l. fig. 20, 21, 24, 27, 28, 30, 33, 39.

Diomedem et Ulixem simili ratione iunctos proponit in libro *K*, *Δολώνεια* qui inscribitur. Quam rhapsodiam Statio obversatam esse cognosces, si mecum reputaveris haec: primum, ut apud Homerum Diomedes prior laborem subire audet[1]) et Ulixem sibi adiungi vult sodalem[2]), ita nostro loco[3]) prior coepit et Ulixem haerentem blandus secum trahit. Deinde, quod Ulixes et Diomedes Scyrum appulsi priusquam urbem petunt, amicam venerantur Minervam, tum vero taciti procedunt *gemini ceu foedere iuncti hiberna sub nocte lupi*[4]), hoc bene congruit cum descriptione Homeri. Apud hunc enim similiter heroes deam invocant[5]) et *ἐπεὶ ἠρήσαντο Διὸς κούρῃ μεγάλοιο βὰν ῥ̓ἴμεν ὥς τε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν.*[6]) Tertium, id quod gravissimum puto, Statius Homeri exemplo commotus videtur esse, ut dolum fingeret, quo Lycomedes ab Ulixe decipitur vers. 734 seqq. Dicit enim Ulixes:

> *imus*
> *explorare aditus invisaque litora Troiae*
> *quidve parent,*

idem mentitus quod apud Homerum verum ei tribuitur munus. — Denique vers. 815 seqq. *cetera depositis Lycomedis regia curis tranquilla sub pace silet, sed longa sagaci nox Ithaco lucemque cupit somnumque gravatur,* quandam similitudinem praebent cum initio libri *K* hoc: *Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες*

---

[1]) *K* 219 seqq.

[2]) *K* 242 seqq.: *εἰ μὲν δὴ ἕταρόν γε κελεύετέ μ᾽αὐτὸν ἑλέσθαι, πῶς ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην, οὗ περὶ μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ ἐν πάντεσσι πόνοισι, ... τούτου γε σπομένοιο καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.* — cf. Ovid. Metam. XIII 239 seqq., ubi Ulixes dicit:

> *At sua Tydides mecum communicat acta,*
> *Me probat et socio semper confidit Ulixe.*

[3]) Ach. I 538 seqq.

[4]) I 704 seq.

[5]) *K* 277—295.

[6]) cf. 489: *τὼ δὲ βάτην προτέρω κ. τ. λ..*

Παναχαιῶν εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ. ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην ... ὕπνος ἔχεν γλυκερὸς πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα, sed hoc non premo, immo praecedentibus satis verisimile factum esse spero Statium Homeri vestigia secutum esse.

Sed ut redeamus unde defleximus, de legatorum itinere pauca iuvat monere. Mirus enim observatur error poetae, utpote qui Lemnum insulam non modo nostro loco[1]), sed etiam antea[2]), semper prope Seriphum, Olearum, Delum insulas sitam fingat, quem errorem geographicum nostro loco inde ortum esse Klotzius[3]) recte videtur observasse, quod Statius Vergili Aeneidos libr. III 124 seqq. versus imitatus pro Donysa insula satis quidem ignota, tamen insularum reliquarum ordini apte respondente, Lemnum ipsi ex Thebaide usitatissimam substituerit insulam, qua mutatione efficitur, *ut quae apud priorem recte atque ordine procedunt, in Statio mera nomina* sint. Non minus inepte Statius inter Naxum et Delum interposuit Samum ita, ut hic evadat ordo insularum, quem sub uno conspectu pono cum Vergiliano:

A. Statius:	B. Vergilius:
1. Cyclades innumerae	1. Delos
2. Paros	2. Naxos
3. Olearos	3. Donysa
4. Lemnos	4. Olearos
5. Naxos	5. Paros
6. [Samos]	
7. Delos	6. Cyclades
↓	↓
Scyros	Creta

quibus inter se comparatis vides ordinem Vergiliani itineris exceptis mutationibus ineptis a Statio inversum esse pro ter-

---

[1]) cf. vers. 675 seqq.

[2]) vers. 201 seqq.

[3]) ad Stati Achilleida symbolae criticae, Philolog. vol. LXI pag. 300.

mino apud utrumque petito: Anchises enim Cretam petit Delo profectus, Ulixes et Diomedes Scyrum Aulide profecti.

Quae deinde poeta narrat de legatis a rege hospitio exceptis, de cena inde parata, de convivio cenae adiuncto, haec omnia e vitae communis ratione sumpta in usum suum convertit ad partes fabulae traditas bene inter se iungendas et exornandas.[1]) Simili ratione idem quae ad dolum Ulixis bene instituendum pertinent suo ingenio novavit poetico, velut quod dona feminea in itinere coempta esse, Ulixem suam hastam donis addere [2]), Diomedem dona collocare, dum puellae Bacchica agunt orgia, fingit, quod Lycomedem verbis Ulixis adduci narrat, ut filias ei ostentet saltantes, qua re simul causa efficitur ad dona puellis offerenda praemia laboris. Sic omnia causis inter se conexa bene procedunt et Achilles Ulixis dolo detegitur, in quam rem restat ut accuratius inquiramus.

Atque primum quidem de dolis ab Ulixe adhibitis dissentiunt inter se historiae fabularis scriptores et poetae, cum alii tradant Ulixem rem ita instituisse, ut mercatoris specie arma donis femineis immixta puellis offerret[3]), alii, ut classico repente edito Achillem ad arma capienda excitaret.[4]) Unde efficitur duo doli genera nota fuisse, quae coniuncta tradit Hyginus, quocum fere congruit Statius. Tradit enim Hyginus (l. l.) haec: *Rex cum negaret apud se esse* (sc. Achillem), *potestatem eis* (sc. oratoribus) *fecit, ut in regia quaererent; qui cum intellegere non possent, quis esset earum, Ulysses in regio vestibulo munera*

---

[1]) In his rebus describendis obversati ei videntur esse versus Thebaidos libr. I 515 seqq., ubi Tydeum et Polynicem ab Adrasto receptos esse et filiabus Adrasti praesentibus cenae et commissationi interfuisse narrat vestigia secutus Vergili, qui Aeneid. I 697 seqq. Troianos a Didone regina hospitaliter invitatos depingit.

[2]) Hoc ut novaret poeta fortasse eo commotus est, quod in tabulis pictis, quae ad Achillem pertinent detectum, Ulixes inhastatus conspicitur, Achilles hastatus, ad quam rem insolitam explicandam poeta fingit Ulixem suam hastam ad dolum efficiendum donis addidisse.

[3]) cf. Ovid. Metam. XIII 165 seqq., schol. *T* 326.

[4]) cf. Apoll. bibl. III 174: σάλπιγγι χρησάμενος εὗρε.

feminea posuit, in quibus clipeum et hastam, et subito tibicinem iussit canere armorumque crepitum et clamorem fieri iussit. Achilles hostem arbitrans adesse vestem muliebrem dilaniavit atque clipeum et hastam arripuit. ex hoc est cognitus. Similiter Statius rem narrat, nisi quod tibicini nomen tribuit Agyrtae et singulas res accuratius nectit et scaenicorum poetarum more legentium vel audientium animos magis magisque intendit exspectationemque auget. Fortasse ei in hac parte pangenda Euripidis fabula *Σκύριοι* quae inscribitur, praesto erat quam imitaretur. Versus 866—874, ubi Ulixes Achillem haesitantem aggressus verbis incitat, quibus eius gentem prodit et ad Troiam eum mittit evertendam, ad Ovidi exemplum videntur reduci posse, qui l. l. Ulixem dicentem fingit haec: *Nate dea, tibi se peritura reservant Pergama. quid dubitas ingentem evertere Troiam?* praeterquam quod apud Ovidium Achilles, dum haec audit, iam hastam et clipeum tenet, cum apud Statium his verbis ad arma rapienda incitetur neque prius ea prehendat, quam classico audito. Vides, quam artificiose Statius dolos olim disiunctos nectat, ita ut alterum altero augeat.

Fabula, quae ad Achillem Ulixis dolo spectat detectum, non solum a poetis et historiae fabularis scriptoribus tradita est memoriae, sed etiam ab artificibus varie expressa inde a Polygnoto usque ad eum, qui gorytum Nicopolensem[1]) qui vocatur caelavit. Atque huius generis monumenta celeberrima, quae Polygnoto et Athenioni tribuuntur Maronitae auctoribus a Pausania[2]) et Plinio [3]), etsi evanuerunt, tamen, qualia fuerint, adhuc potest cognosci, si quidem fidem habemus viris antiquae artis peritissimis. Ex his enim Robertus et Th. Reinachius gorytum Nicopolensem ad Polygnoteae picturae similitudinem factam esse consentiunt, cum in singulis explicandis

[1]) cf. Robert, Jahrbuch des archäologischen Instituts 1889, pag. 150 seq., Reinach, Revue archéologique 1896 pag. 145 seqq., Birt, l. l. pag. 315.

[2]) cf. supra pag. 41.

[3]) Natural. Histor. XXXV, cap. 134 Athenion *pinxit Athenis* ... *Achillem virginis habitu occultatum Ulixe deprehendente.*

discedant, et ex Athenionis Maronitae tabula picta originem ducere quasdam picturas parietarias[1]) inter se simillimas Baumeister[2]) verisimile esse suspicatus est. Itaque his monumentis in comparationem vocatis licet statûere, quae ratio inter fabulam intercedat a Statio formatam et ab artificibus illis expressam. Atque statuendum est Statium in rebus illustrandis propius accedere ad tabulas pictas Pompeianas quam ad goryti caelaturam. Hic enim cum vix inveniantur quae possint comparari — legati enim variant, tibicen deest, Achilles neque hasta neque clipeo instructus a legato sedente (sic!) manu prehenditur, Deidamia fugiens a nutrice retinetur, regina fingitur adesse, tota res partim in gynaeceo, partim coram Lycomede agitur, si quidem recte interpretamur Reinachium secuti —, illic plura descriptioni Statianae similia conspiciuntur: Ulixes, Diomedes, Agyrtes[3]), Achilles feminea veste leviter indutus, dum hastam et clipeum vibrat[4]), Lycomedes attonitus factis[5]), Deidamia perterrita aut aufugiens[6]) aut supplex Achillis genua amplexa.[7]) — Simili ratione fabula expressa conspicitur in sarcophagorum anaglyphis iam supra citatis, quibus a Roberto collectis[8]) unum accedit exemplum a Duhnio descriptum.[9]) Quae monumenta, cum omnia fere intra saecula secundum et tertium p. C. n. confecta esse rationibus technicis verisimile sit, quaeritur, unde materiam sumpserint fabularem artifices, utrum ex cyclis mythologicis an e Stati fragmento.

---

[1]) Helbig, Wandgem. nr. 1296, 97, 99, 1300—02.

[2]) l. l. pag. 5. Idem mirum esse statuit fabulam, de qua agitur, nusquam in vasis inveniri impictam, quamquam Polygnoti exstiterit pictura celeberrima.

[3]) cf. Helbig, Wandgem. nr. 1297.

[4]) l. l. nr. 1296.

[5]) l. l. nr. 1297.

[6]) l. l. nr. 1297.

[7]) l. l. nr. 1296.

[8]) l. l. fig. 20—39.

[9]) F. v. Duhn, Archäologischer Anzeiger 1895 pag. 159 seq.

Atque, etsi supra[1]) statuimus quibusdam anaglyphis res illustrari Stati proprias vel potius quae ante Statium nusquam legantur, tamen haec e Statio hausta esse ea de causa vix credi potest, quod in isdem sarcophagis insculptae conspiciuntur res ab Achille ante Troiam gestae, quae fragmento Statiano omnino non continentur[2]), neque verisimile est artifices fabulas, quas depingerent, undique collegisse. Hoc si tenemus, nulli dubitabimus statuere eos aut e cyclis mythologicis ipsis hausisse aut ex tabulis, quibus illi libri fabulares illustrari solebant, eiusdem fere generis, qualem iam supra memoravimus Iliacam, et Statium, ubi cum illis congruit, e simili fonte hausisse. — Praeterea anaglypha in hac fabulae de qua agitur parte reddenda non multo maiorem ad Achilleidos accedunt similitudinem quam picturae parietariae, nisi quod distinctius et frequentius legatos exhibent Ulixem et Diomedem cum tibicine[3]); nonnumquam plane ab eo discedunt, velut eo, quod regina inducitur[4]), quin etiam A g a m e m n o inter Graecos conspicitur[5]), et eo, quod tota res in gynaeceo agi videtur[6]), cum Statius eam in aula regia actam fingat.[7]) Quae cum ita sint, Roberto assentiri propensus sum, qui de sarcophagorum exemplis iudicat haec: „Von einer Einwirkung der an Sagengehalt freilich überaus dürftigen Achilleïs des Statius läßt sich nirgends etwas wahrnehmen, wie denn überhaupt keine ausführliche poetische Behandlung, sondern nur eine ganz allgemeine, lediglich aus mythologischen Handbüchern geflossene Vorstellung den Bildwerken zugrunde zu liegen scheint“ [8]), quamquam negari non

---

[1]) cf. pag. 36, 45.

[2]) cf. Robert, fig. 23 a, 25 b, 26 b, 23 c, 24 d, e, 25 c, 26 c, 27 a. b.

[3]) cf. fig. 20, 21, 24, 27, 28, 30. 33.

[4]) fig. 20, 22.

[5]) fig. 23, 25, 26.

[6]) cf. Robert pag. 21: „die auf dem Boden hingestreuten Spindeln oder Wollkörbe dienen lediglich zur Charakteristik des Frauengemachs.“

[7]) I 842.

[8]) l. l. pag. 21.

potest anaglypha cum carmine Statiano vinculo aliquo artiore coniuncta esse quam reliqua huius generis monumenta propter similitudines pag. 36 et 45 demonstratas.

Haec quidem de Achille patefacto et de monumentis hanc rem illustrantibus. Iam quae leguntur de Lycomede irato et Graecis intercedentibus placato, poeta vi quadam exornavit dramatica et iocose, nam quod Achillem primo petere coniugem filiam a Lycomede, paulo post vero regem iam socerum et avum appellare fingit Pyrrho ostentato satis facete inventum esse concedes. Versus 907—915, quibus Lycomedes describitur iratus et anceps utri obsequatur, Thetidi an Achilli, tandem vero precibus Graecorum et fatis victus Achillem ad bellum proficisci patitur, illustrantur aliquatenus sarcophagorum anaglyphis 21a et 25, ubi tamen etiam Agamemno praesens fingitur, neque probabilitate caret, quod Robertus in imagine priore interpretanda suspicatus est hanc fabulae partem in Euripidis tragoedia praecipue expositam fuisse.

Quae deinde narrantur de Peleo certiore facto et naves mittere iusso, de Achille et Deidamia prima nocte et suprema iusto foedere coniunctis [1]), poetam pro rerum ratione de suo sumpsisse verisimile est, nec minus quod Achillem Ulixis iussu, priusquam naves solvuntur, deis marinis sacra facientem inducit, hoc ex usu communi ad nostram fabulam simili ratione aptavit, ac Valerius Flaccus de Argonautis, postquam navem in mare deduxerunt, dicit: *tum laeti statuunt aras; tibi, rector aquarum, summus honor, tibi caeruleis in litore vittis et Zephyris Glaucoque bovem Thetidique iuvencam Deicit Ancaeus* e. q. s.[2])

Denique, dum Deidamiam cum Pyrrho infante ex turre Achillem ad bellum profecturum neque umquam rediturum oculis prosequi narrat, ei fortasse obversantur, quae similia

---

[1]) vv. 921—960.

[2]) Similia tradunt Vergilius (Aen. III 118 seqq., V 234 seqq.), Silius Italicus (XVII 48 seqq.).

apud Homerum leguntur de Andromacha, quae, dum ceterae feminae Minervam votis placant, desiderio et timore mariti coacta *Z* 372 *ξὺν παιδὶ καὶ ἀμφιπόλῳ εὐπέπλῳ πύργῳ ἐφεστήκει γοόωσά τε μυρομένη τε* et postea v. 494 cum Hectore supremum collocuta, dum ille in pugnam rediturus est, ipsa *οἶκόνδε βεβήκει ἐντροπαλιζομένη θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα.* Achilles quod et ipse desiderio Deidamiae et amore commotus et mollitus ab Ulixe idoneis verbis ad bellum retrahitur et, dum Aulidem tendunt, a Diomede iussus narrat, qua ratione a Chirone educatus sit, haec quoque poeta pro ratione rerum bene invenit et disposuit. De rebus ipsis quoniam altera disputationis parte verba fecimus, iam ad finem pervenimus et carminis et disputationis de fragmenti fontibus institutae.

Index compendiorum.

Apoll. bibl.	= Apollodori bibliotheca ed. Wagner in Mythographi Graeci vol. I Lips. 1894.
Apoll. epit.	= Epitoma Vaticana Apollodori bibliothecae ed. Wagner Lips. 1891.
T. R. F.[2] ed. Ribb.	= Tragicorum Romanorum fragmenta ed. Ribbeck, ed. altera Lips. 1871.
T. G. F.[2] ed. N.	= Tragicorum Graecorum fragmenta ed. Nauck, ed. altera Lips. 1889.
C. A. F. ed. Kock.	= Comicorum Atticorum fragmenta ed. Kock. Lips. 1880—88.
F. H. G. ed. M.	= Fragmenta historicorum Graecorum ed. C. Mueller Paris. 1841—70.
Helbig, Wandgem.	= W. Helbig, Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens. Lips. 1868.
Baumeister, Denkm.	= Baumeister, Denkmäler des klassischen Altertums. Monach. et Lips. 1885.

Vita.

Natus sum Henricus Iohannes Nicolaus Kuerschner, Borussus, die XIV mensis Novembris anni MDCCCLXXX Wasenberg in vico Chattorum patre Paulo et matre Maria e gente George. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in schola publica et privata Treysaensi vere anni MDCCCLXXXXV in tertiam classem gymnasii Hersfeldensis receptus sum, quod tunc Dudeno florebat directore. Maturitatis testimonio vere anni MCMI adornatus Aprili mense eiusdem anni universitatem adii Marpurgensem, ut studiis philologis operam darem. Per quater sex menses ibi moratus Friburgum me contuli Brisogaviae, ubi per unum semestre civis fui academicus. Inde Marpurgum reversus studiis per duos annos continuatis die XX mensis Iulii anni MCMVI superavi examen pro facultate docendi. Autumno eiusdem anni in seminarium paedagogicum Weilburgense receptus sex mensibus post ad gymnasium Corbacense delegatus sum, ut magistri vice fungerer. Die XXVII mensis Iulii huius anni examen superavi rigorosum. Usque ad diem promotionis Corbach in oppido Waldeckiae versatus sum.

Docuerunt me studiosum philologiae viri doctissimi hi: Birt, Cohen, Elster, Hense, Jensen, Jülicher, † Justi, Kalbfleisch, Knopf, Kühnemann, Lommatzsch, Maass, Niese, Puchstein, B. Schmidt, Steup, de Sybel, Thiele, Thumb, Vogt, Wentzel. Quibus omnibus quot quantumque debeam memori semper corde tenebo. Maximas vero gratias ago semperque habebo Theodoro Birtio, qui et ut seminarii philologi essem sodalis per duo semestria liberaliter permiserit et ad hanc dissertationem conscribendam me invitaverit et opera auxilioque adiuverit.